



m.

Theol. luth. 968. 967





DISSERTATIO ACADEMICA  
DE  
SCIENTIA DEI

partim Photinianis, partim  
verò Calvinianis  
*opposita*

FRIDEM. *Bechmann*

Log. & Phil. Prim. Prof. Pubi.  
in Acad. Jenensi.

*Editio secunda priori auctior.*



J E N Æ

Sumtibus JOHANNIS BIELKII, Bibliop.  
Jenens.

Typis JOHANNIS WERTHERI, 1667

*Thcol. Luthi 1091.*

967

966

Sächsische  
Landesbibliothek  
Dresden



I. N. D.  
DISSERTATIONIS  
DE  
SCIENTIA DEI

CAP. I.

*In quò ostenditur, quò sensu DEO  
tribuatür Scientia.*

I.



Èrè ac nervosè Chri-  
stianus ille Tullius, quò  
elogio meritò suò à  
magno ornatur Era-  
smo, *Lactantius Firmia-  
nus, lib. de irà DEI c. 1.*

*Hoc differt, inquit, ab humanitate divi-  
nitas, quod humanitatis est ignoratio, di-  
vinitatis scientia. Et capite 9. ubi con-  
tra Epicurum disputat, Postea verò, ait,  
Epicurus quidem DEum esse dixit, quia  
necesse sit, esse aliquid in mundo prestans  
& eximium & beatum: providentiam  
tamen nullam: itaq; mundum ipsum nec  
ratione ulla, nec arte, nec fabricâ instru-*

A

Etum

2                    *Cap. I. in quò ostenditur,*

*Etum, sed naturam rerum quibusdam mi-  
nutis seminibus & insecabilibus congloba-  
tam. Quo quid repugnantius dici possit,  
non video. Etenim si est Deus utique  
providens est, ut DEUS: nec aliter ei  
potest divinitas attribui, nisi & prateri-  
ta teneat, & presentia sciat, & futura  
prospiciat. Cùm igitur providentiam su-  
stulit, etiam DEum negavit esse. Cùm  
autem DEum esse professus est, & provi-  
dentiam simul esse concessit: quibus La-  
Etantius DEO non tantùm tribuit scien-  
tiam, eamque perfectissimam, cum quâ  
si nostra conferatur, non tam scientia,  
quàm ignoratio, h. e. imperfectissima  
scientia appellanda erit: sed & eandem  
cum DEO nexu tam necessario cohære-  
re arbitratur, ut ea sublata, ipsam DEI  
naturam tolli necesse sit. Unde procul  
à verò abierunt quidam, ut testatur  
*Did. Ruiz de Scient. DEI disp. 1. sect. 1.*  
qui docuerunt, per hoc, quod DEO  
scientia tribuitur, nihil in eò poni, sed  
tantum significari, causam esse creatæ  
scientiæ, ut eâ tantum ratione DEUS sci-  
re dicatur, quia scientiam creaturis in-  
fun-*



quò sensu DEO tribuatur Scientia.

fundit: quod quid aliud est, quam DEO  
O. M. Scientiam adimere, quæ tamen  
non tantum ex S. literis, sed etiam ex  
lumine naturæ adeò manifesta est, ut  
nisi quis infanus videri velit, de ea du-  
bitare vix possit.

II. Et quidem, quod Scripturæ S.  
attinet testimonia, ea, quæ sequuntur,  
hac de re vix quempiam dubitare per-  
mittunt: *1. Sam. 16. 7. Homo videt ea,  
quæ ante oculos, Dominus autem cor in-  
tuetur.* Hoc enim, ait *Lyra ad d. 1. est  
proprium ipsius, scire secreta cordium: quæ  
explicatio optimè convenit cum eo,  
quod dicitur 1. Reg. 8. 39. quia tu nōstī  
Solus cor omnium filiorum hominum. Job.  
12. 13. Cum ipso est sapientia & fortitudo,  
ejus est consilium & intelligentia. Psal. 139.  
2. Tu cognovisti sessionem meam, & re-  
surrectionem, intellexisti cogitationes  
meas è longinquo.* Ubi expressè DEO  
tribuitur scientia, utut, quid per obje-  
ctum additum, sessionem scil. & resur-  
rectionem intelligatur, non unò modò  
explicetur: sive enim intelligatur id,  
quod David sedendo vel surgendo,  
A 2 quie-

quiescendo, vel ambulando fecit, sive aliud quid, relinquitur tamen, quòd DEO h. l. tribuatur scientia. *Psalm. 94. 11.*

*Qui docet hominem scientiam:* ubi est ellipsis vocis ex voce conjugata eruenda, & subintelligendum est, *annon cognosceret? Chald.annon Jehova docet homines, & coram ipso scientia est?* ut habet *B. Glasius Phil. S. l. 4. tr. 2. observ. 5. Actor. 15. 18. γνωστὰ ἀπ' αἰῶνός ἐστι τῷ Θεῷ πάντα τὰ ἔργα αὐτοῦ.* Nota sunt DEO omnia opera ejus ab aeterno. Plura non addimus.

III. Ex lumine naturæ cognosci etiam posse Scientiam DEI diximus: sicut enim prædicata DEI sunt in triplici differentia: ita tribus etiam modis naturaliter possunt cognosci. Quædam enim, quæ de DEO prædicantur, sunt positiva relativa, ut cum ab Aristotele vocatur *συνήγη l. de mund. c. 6. κινῆσθαι πρῶτον, primum movens, 12. Met. 8. & 8. Phys. c. 6. αἴτιον ἢ δέχνη causa seu principium, 12. Met. 8. & 1. Met. 2.* & hæc cognoscimus ex lumine naturæ viâ causalitatis, ut loquitur *Becanus Theol. Schol. p. 1. tr. 1.* quatenus ab effectu progredimur ad  
 cua-

quò sensu DEO tribuatur Scientia.

¶

causam. Quædam DEI prædicata sunt  
positiva absoluta, ut cum vocatur ab  
Arist. *ὄν Ens*, 12. Met. 7. *αἰδιόν* seu eter-  
nus, 12. Met. 6. *νοῦν intelligens*, 12. Met.  
c. 9. &c. hæc prædicata cognosci dicun-  
tur ex lumine naturæ via eminentiæ,  
quatenus sc. illas, quas in creaturis de-  
prehendimus, perfectiones eminentio-  
ri quodam modo DEO tribuimus. De-  
nique eorum, quæ de DEO prædicantur,  
quædam sunt negativa, ut cum ab Arist.  
12. Met. 8. vocatur *ἀκίνητος* immobilis:  
*ἀφανής* invisibilis, l. de mund. c. 6.  
*ἀφθαρτός* incorruptibilis, l. 2. de Cælo  
t. 36. &c. hæc cognosci dicuntur via ne-  
gationis. Admissis hisce patet, quo-  
modo beneficio luminis naturæ co-  
gnoscere possimus, in DEO esse scien-  
tiam, si enim in creaturis deprehen-  
dimus, quòd scientia non exigua sit per-  
fectio, facile inde potest colligi, DEO  
eandem, sed modò longè eminentiori  
& nobiliori tribuendam esse. Potest  
huc, ubi agitur de cognitione scien-  
tiæ divinæ ex lumine naturæ, refer-  
ri, quod graviter & acutè notavit  
Augustinus lib. 1. de doctrina Chri-  
stian.

*stian. c. 7. Cum ille unus cogitatur deorum DEUS, ab his etiam qui alios suspicantur, & vocant, & colunt deos, sive in cælo, sive in terrâ, ita cogitatur, ut aliquid, quo nihil melius sit atq; sublimius illa cogitatio conetur attingere. Et lib. 15. de Trin. c. 4. sub init. universa, inquit, rerum natura proclamat, habere se præstantissimum conditorem. Quibus non obscure significat doctissimus Pater, summam DEI perfectionem lumine naturæ attingi posse, quod sicuti est verissimum; ita eodem lumine attingi poterit etiã Scientia DEI, quippe quæ maxima est perfectio. Unde bene concludit tandem August. l. c. fere sub fin. Quoniam rebus creatis creatorem sine dubio præponimus, oportet summè vivere, cuncta sentire, atque intelligere.*

IV. Ne in re aperta prolixus sim, aut *Φῶς ἡλίω δανίζεσθαι* videar, testem sisto Aristotelem, qui non uno in loco eleganter de hac DEI scientia differit. At unde cognitam eam habuit summus Philosophus, si beneficio luminis rationis incognitionem ejus non penetravit? Fidem

dem

dem verbis facio seqq. *Lib. 10. Eth. c. 8.*  
*Ei, inquit, quod vivit & actione & effe-*  
*ctione magis caret, præter contemplatio-*  
*nem quid restat? Quare DEI operatio*  
*cum beatitudine excellat, contemplativa*  
*erit. Et paucis interjectis: argumento*  
*illud est, quod cetera animalia, quæ tali*  
*operatione penitus carent, expertia quoq;*  
*feliciter sunt. Diis enim beata tota*  
*vita est, hominibus, autem eatenus, qua-*  
*tenus similitudo quædam ejusmodi opera-*  
*tionis in ipsis est.*

V. Quamvis autem extra omnem  
dubitationem positum sit, DEO conve-  
nire scientiam, quâ ratione tamen & in  
qua significatione ei tribuatur, non li-  
quidum est. Hoc igitur ne quempiam  
lateat, notandum, vocabulum scientiæ  
variis modis sumi. Apud Aristotelem  
non una vocis hujus occurrit acceptio.  
*l. 1. post. c. 2.* mentionem facit scientiæ  
Sophistarum, cùm ait: *scire putamus*  
*rem simpliciter, non sophistico modo, i. e.*  
*ex accidente &c.* Ad quæ verba notat  
Averroës, intelligi talem scientiam, qua  
cognoscitur res propter rem ei acciden-

tem, quem modum faciunt Sophista. Et Themestius in d. l. ait: Scire sive scientiam quandoque latius sumimus, cum omnem notitiam, qualiscunque sit seu de solis accidentibus rei, seu alia ratione quaesita, scientiam vocamus. Et Philoponus ad d. l. *Ἀπὸ τῆτον ἐν τὸν τρίτον κοινῶς πάντα τὰς ἀπὸ τὸν ἀποδεικτικὸν συλλογισμὸν σοφιστικὸς ἐκάλεισεν.* Deinde in eodem loco Aristoteles scientiam sumit pressius, cum scire, inquit, putamus unam quamque rem, cum putamus causam cognoscere, propter quam res est, ejus rei causam esse, nec posse eam rem aliter se habere. Vel, ut Themestius habet, quum causam illam tenere credimus, à quâ res, ut sit, habet, & quæ causa esse cognoscitur: nec putamus, id aliter esse posse, ac sic. Hæc propria, hæc simplex & absoluta scientia est. Talis scientia videtur spectare ad conclusionem demonstrationis, quæ ex præmissis veris primis, aut, ut Aristoteles l. i. Top. c. i. loquitur, ex iis, quæ à quibusdam veris & primis principium cognitionis sumserunt, deducitur: talē enim certō scimus, quia in præmissis

sis

sis causa propter quam ejus, quod in conclusione subiecto dicitur inesse, allata fuit. Potest ductu Aristotelis tertia acceptio Scientiæ addi, quòd scilicet sumatur interdum pro habitu, qui demonstrat affectionem de subiecto, in qua significatione Aristoteles vocabulum scientiæ usurpavit *l. 6. Met. 1.* ubi i. mentionem facit τῆς φυσικῆς ἐπιστήμης, naturalis Scientiæ, quam paulò post dicit esse θεωρητικὴν περὶ τοῦτον ὄν, ὃ ἔστι δυνατόν κινεῖσθαι, speculativam ejus entis, quod moveri potest. Intelligit Philosophus per scientiam theoreticam habitum, qui de subiecto demonstrat affectionem. Alias vocis hujus acceptiones mitto.

VI. Huc accedit, quod scientia alicui tribui potest vel in actu primo vel in actu secundo : In actu primo nihil aliud est, quàm habitus scientiæ vel potentia sciendi, quò sensu v. g. Physica aut Metaphysica scientiæ dicuntur. In actu verò secundo est ipsa actualis cognitio sive actus cognoscendi, vid. *Arist. l. 2. de an. c. 1.*

A 5

VII. Hi-

VII. Hisce præmissis, videndum est, an aliqua harum significationum locum hîc inveniat. Quod primam attinet, scientia, quâ aliquid tantum ex accidente cognoscitur magnam involvit imperfectionem, quæ, ut hanc scientiam Deo tribuamus, non permittit. Hanc imperfectionem exponant nobis ea, quæ *Philoponus ad d. l.* annotat, εἰαὶ ἰνκίεης, γδ δὴ λουότι κηὶ ἄλλοι συλλογισμοὶ μετὰ ξυ τῶν τε σοφιστικῶν, κηὶ τῶν Ἰπυσημονικῶν ἀληθῆ μύτοι, κηὶ ἐξ εἰκότων κατὰ σκεδάζουτες, ἔ μὴν τὸν ἀποδεικτικὸν τρόπον ἔ τε τὸν σοφιστικὸν. οἶον ὡς οἱ λέγοντες, ὁ δεῖνα νύκτωρ πλανᾶται, κλέπτης ἄρα, ἢ γυνὴ γάλα ἔχει, τέτοκεν ἄρα, ταῦτα γδ πιθανὰ μύ τεκμήρια, ἔ πάντως δ' αἴτια τῶν συμπεράσματος. Ex quibus patet, quod hæc scientia acquiratur per syllogismum, qui ἐξ εἰκότων verisimilibus procedit, & quod admodum sit incerta, neque enim sequitur, ἢ γυνὴ γάλα ἔχει, τέτοκεν ἄρα.

VIII. Sed & scientia in secunda significatione nullum hic meretur locum, ut benè monet *Petrus Molinaeus tract. de omniscientia DEI* §. 2. Sicut enim primo, ita & hoc secundo modo  
acce-



accepta scientia magnam post se trahit  
 imperfectionem : acquiritur enim per  
 demonstrationem, in qua adfertur cau-  
 sa propter quam, unde ad eam obtinen-  
 dam requiritur, ut quis prænoscat prin-  
 cipia prima, imò, ut ea magis sciat, ut  
 docet *Aristoteles lib. 1. post. t. 15. 16.* ubi  
 ἀνάγκη, inquit, μὴ μόνον προγνώσκειν τὰ πρῶ-  
 τα, ἢ πάντα, ἢ ἕνια, ἀλλὰ καὶ μᾶλλον. At ve-  
 ro Deum per demonstrationem sibi sci-  
 entiam conclusionis acquirere, ma-  
 gnam importat imperfectionem. Nam,  
 ut notat *Averroës*, principia, quæ de-  
 monstrationem ingrediuntur, possunt  
 dupliciter spectari. 1. quatenus conclu-  
 sio nondum est illata, sed adhuc ignora-  
 tur; 2. quatenus conclusio est demon-  
 strata & cognita. Si priori modo spe-  
 ctantur principia, absurdum est, DEO  
 tribuere talia principia, ut per ea con-  
 clusionis prius ignoratæ scientiam ac-  
 quirat, sic enim apertè DEO tribueretur  
 ignorantia. Si verò posteriori modò  
 sumuntur principia, requiritur, ut sint  
 magis, h. e. firmitus & certius cognita,  
 quàm conclusio: at verò dicere, DEUM  
 acqui-

acquirere vel acquisivisse scientiam per principia certius, & firmitus, aut, ut habet *Themistius*, plus cognita, est dicere, Deum aliquid non satis certò & firmiter cognoscere (cùm alia certius & firmitus cognoscat) adeoque alia perfectiori; alia minus perfectò modò cognoscere, quæ falsa & impia esse, vel cæcus videt. Huc accedit, quòd scientia h. m. sumta est *διάθεσις ἢ ἐγγνωμένη ἡμῶν*, ut ita in DEO, si ipsi competeret, præsupponeret potentiam passivam. Ita enim *Philoponus ad d. l. Διαφέρει δὲ εἰρησήμεν τε, καὶ τὸ εἰρησαοθα ἀποδείξεως, ὅτι εἰρησήμεν μὲν εἶν αὐτὴ ἢ διάθεσις ἢ ἐγγνωμένη ἡμῶν περὶ τῶν πραγμάτων. ἀπόδειξις δὲ ἡ ὁδὸς, καὶ ἢν ἢ τῶν γίνεται γνώσις.*

IX. Quod tandem attinet tertiam scientiæ acceptionem, quâ scientia dicitur habitus, qui demonstrat affectionem de subjecto, neque illa hic attenditur, ob eandem, quæ supra assignata fuit, rationem, quia scilicet imperfectionem in DEO importat. Nam, ut *Suarez docet diss. Met: XLIV. sect. 1. n. 3. duo sunt genera qualitatum, quæ potentiis*

*tis*

tiis adduntur; ut illis ad operationes suas  
juventur, quædam sunt ad conjungendum  
objectum potentia, quæ dicuntur requiri  
ex parte objecti, & solum sunt necessaria  
in potentiis cognoscentibus: alia sunt, quæ  
adduntur potentia ad augendam virtu-  
tem ejus in operando, ex quo habent, ut  
dent facilitatem in operatione. &c. Po-  
sterioris generis qualitates propriè di-  
cuntur habitus, de quibus Svarez d. l.  
duo affirmat, primò, quòd potentia ad-  
dantur; secundò, quòd augeant virtu-  
tem potentia in operando; sicut v. g.  
habitus physica non tantum superad-  
ditur intellectui hominis; sed & facili-  
tatem in operando ei largitur: cum  
enim physicus corpora naturalia eo-  
rumque affectiones & harum principia  
contemplatur, in tali contemplatione  
duo sunt spectanda: 1. ipsa actio, ut est  
actio, sive contemplatio; 2. facilitas &  
promptitudo actionis, quorum prius il-  
lud præcisè intellectui hominis; poste-  
rius autem habitui, qui intellectui fuit  
additus, adscribendum est: quòd enim  
prompta & facilis illa contemplatio est  
actio

actio s. intellectio, id non ab habitu, sed præcisè ab intellectu habet, qui eam elicit: cum verò hic sibi relictus talem cognitionē tam facile elicere nequeat, supervenit habitus Physicæ, à quo præcisè actio habet facilitatem. At verò statuere, quòd potentiaè DEI cognitivæ aliquid addatur, est in ea admittere potentiam passivam, quæ magnam secum trahit imperfectionem, quod, nisi notum esset, ostendi multis posset: nec minorem imperfectionem in subiecto importat alterum, quod de habitu afferunt Suarez, dum ait, habitum augere virtutem potentiaè in operando: si enim potentiaè virtutem in operando auget, præsupponitur, potentiam in se spectatam non fuisse sufficientem ad talem operationem, quod de potentia DEI cognitiva affirmare, quid aliud est quàm ex DEO facere non DEUM?

X. Anne igitur, inquis, scientia DEO in actu primo, an verò in actu secundo tribui potest? Ut quæstioni satisfiat, res ipsa postulare videtur, ut, quid sit actus primus, quid secundus, explicetur. *Aristotele.*

*Aristotele.*

Aristoteles l. 2. de anima c. 1. t. 2. ἔστι δὲ, inquit, ἡ μὲν ὕλη δύναμις. τὸ δὲ εἶδος, ἐντελέχεια. καὶ τὸ διχῶς. τὸ μὲν ὡς ὄψις, τὸ δὲ ὡς τὸ φεωρεῖν. Quibus verbis Aristoteles proponit distinctionem inter actum primum & actum secundum, quæ tamen non eodem modo ab omnibus explicatur. Averroës in d. l. Comm. 1. putat dividi formam tantum substantialem in actum primum & secundum, ut actus primus sit forma substantialis, quatenus est in otio, seu quatenus non operatur: actus secundus autem sit ipsa quoque forma substantialis quatenus operatur, statuit igitur actum primum & secundum à parte rei esse unam eandemque rem; Verba ejus l. c. sunt hæc: *Forma autem est substantia, per quam perficitur hæc substantia, quæ est in potentia forma: Et ista forma invenitur duobus modis, quorum unus est, secundum quod est in actu, tamen non provenit ab eâ actio, quæ innata est provenire ab ea, sicut à sciente qui non utitur suâ scientiâ. Secundus est, secundum quod provenit ab ea illa actio, sicut est de sciente,*

te,

te, qui scit &c. Vestigia Averrois legit quoque Cajetanus. Verùm hæc sententia non est conformis menti Aristotelis, quippe qui declaraturus actum primum & secundum, affert scientiam, quam primum; & contemplationem, quam secundum actum vocat; at vero scientiam & contemplationem unam eandemque rem esse, nemo facile dixerit.

XI. Propius itaque ad mentem Aristotelis accedere videntur *Simplicius, Themistius, Philoponus, Thomas, &* alii, qui sub illa Aristotelis divisione non tantum substantialem, sed etiam accidentalem formam comprehendunt: Verùm hic etiam cautelâ opus est, ne pro una re actus primus & secundus habeantur, sunt enim res distinctissimæ; cum actus primus sit forma, quatenus potest esse principium operandi: actus secundus verò ipsa operatio, à principio operationis utique realiter distincta.

XII. Hoc modô si accipitur actus primus & secundus, manifestum est, in  
DEO



habere potentiam cognoscendi, DEUM etiam actù ipsò cognoscere. Sumitur ergo h. l. scientia, pro *apertâ & clarâ intelligentiâ* sive cognitione *cujuscunq; veritatis* sive rei, ut ferè loquitur *Suares disp. Met. 30. Sect. 15. n. 2.* vel ut loquitur *Didac. Ruiz de scient. DEI disp. 1. Sect. 1. n. 4. pro cognitione intellectuâli certâ & evidente.*

XIV. In hac DEI scientia ad tria imprimis habendus est respectus; *1. ad essentiam divinam*, cum qua scientia realem habet identitatem, quamvis essentia, quatenus præcisè sub ratione essentiaæ divinæ spectatur, non dicatur scientia, sed cum ordine ad connotatum, n. p. objectum scibile. *2. ad respectum*, quem essentia DEI habet ad objectum, & *3. ad ipsum objectum scibile*, quod paulò fusiùs & diligentius explicandum est.

XV. Quod dixi, scientiam DEI à parte rei esse idem cum essentia DEI, illud facilè ostenditur: Nam si scientia DEI ab essentia est realiter distincta, aut per veram compositionem cum essentia est unita, aut planè ab ea separata: sed  
neu-



neutrum horum potest dici. E. Scien-  
tia DEI non est ab essentiâ distin-  
cta. Quòd autem Scientia cum essentia  
divina non sit unita per veram compo-  
sitionem, clarum est ex summa DEI  
simplicitate & perfectione, cum DEI  
appellatione, teste *Thom. p. 1. q. 2. a. 1. ad 2.*  
significetur id, quò majus cogitari  
non potest, vel ut habet August. ex-  
cellentissima immortalisque natura,  
cui nihil alterius peregrinæ naturæ aut  
formæ accedere potest. E. nec scien-  
tia DEI essentiæ accedit, ut cum ea unia-  
tur reali compositione, cum sic seque-  
retur, ante adventum hujus scientiæ  
essentiam DEI fuisse adhuc imperfe-  
ctam, cum alterioris perfectionis, sci-  
entiæ scilicet non capax tantum fuerit,  
sed & actu illam receperit & cum ea  
per realem compositionem unita fue-  
rit, quæ omnia perfectionem DEI sum-  
mam, quam vix quisquam negaverit,  
destruunt. Plura non addo, vid. *Thom.*  
*P. 1. q. 3. a. 6. Vazquez. in d. l. n. 25.* Ne-  
que alterum dici potest, quod scientia  
DEI ab essentia ejus ita distinguatur, ut

B 2

planè

planè ab ea sit separata, quod vel exinde ostendi potest, quia h. m. DEUS à scientiâ suâ denominaretur denominatione extrinsecâ, quod absurdum.

XVI. Respectum essentiæ divinæ ad objectum scibile, à quo essentia divina habet hoc, quod est & dicitur scientia, quicquid alii dixerint, nos putamus esse realem, ita ut nemine cogitante, talis in essentia divina detur respectus ad scibile. Si enim nemine cogitante DEUS scibilia cognoscit, citra omnem mentis operationem essentiæ divinæ respectus dabitur ad cognoscibile. Hæc autem ulterius persequi nec est operæ pretium, nec instituti ratio permittit.

CAP. II.

*De primario Scientiæ divinæ objecto.*

I.

**A**D objectum igitur progredimur, ex quo omnis ferè circa hanc materiam nata est difficultas: illud autem vulgò duplex constituitur, Primarium & Secundarium, unde tamen inferre non

non licet, duas easque realiter distinctas in DEO esse scientias, quarum altera circa primarium, altera circa secundarium objectum versetur, nam, ut rectè ait *Cyparussiotus decad. 8. c. 5.* non alia cognitione se DEUS cognoscit, alia autem ea, quæ à se effecta sunt. Primarium sive primum scientiæ divinæ objectum dicunt esse ipsum DEUM, quod ex *Aristotele* manifestum esse putant, cum *lib. 12. Met. c. 9.* ait: *αὐτὸν ἀεὶ νοεῖ, εἴτε ἐστὶ τὸ κενόν:* seipsam igitur intelligit (mens h. e. DEUS,) siquidem est res omnium præstantissima.

II. Notat autem *Gabr. Biel. I. dist. XXXV. q. III.* quòd objectum cognoscibile multis modis possit primum vel primarium dici: *ratione perfectionis; 2. ratione originis. 3. ratione adæquationis:* sed & hoc duobus modis fieri docet (1.) *secundum perfectionem.* (2.) *secundum prædicationem.* Objectum primum quoad perfectionem dicit esse perfectissimum intelligibile à potentia cognitiva. Primum ratione originis ipsi est, quod terminat actum

primum potentia cognitivæ: primum  
 ratione adæquationis & quidem secun-  
 dum perfectionem ipsi dicitur illud,  
 quod est æquè perfectum cum potentiâ  
 vel actu eius: tandem primum ratione  
 adæquationis quoad prædicationem  
 vocat, quod prædicatur de omnibus per  
 se cognoscibilibus à tali potentia: qui-  
 bus præmissis docet 1. quod DEUS sit  
 primarium vel primum cognitionis  
 suæ objectum quoad perfectionem,  
 cum inter omnia, quæ cognitione illa  
 attinguntur, sit perfectissimus. 2. negat,  
 DEUM esse objectum cognitionis suæ  
 primum ratione originis, rationem ad-  
 dit, quia DEUS non terminat primum  
 cognitionis suæ actum, cum simul &  
 eadem cognitione cognoscatur essen-  
 tia DEI & creatura. Verùm licet ne-  
 gari non possit, quod in re ipsa una sit  
 cognitio, quâ DEUS seipsum & creatu-  
 ram cognoscit, quia tamen de cogni-  
 tione DEI loqui solemus secundum no-  
 strum concipiendi modum, absurdum  
 non videtur, DEO tribuere plures actus,  
 propter diversa objecta ita, ut concipia-  
 mus

mus

mus unum eorum prius terminare cognitionem, quam alterum. Sicut enim v. g. in ordine ad peccatorem, qui poenitentiam agit, essentiam DEI, ut misericordiam; in ordine verò ad eum, qui pertinaciter in peccatis perseverat, ut iustitiam, adeòque duo. in DEO attributa concipimus: ita in ordine ad diversa cognoscibilia absurdum non est in DEO plures actus cognoscendi concipere: sicut enim prior est DEUS omnibus creaturis: ita concipimus DEI essentiam prius terminare cognitionem divinam, seu prius à DEO cognosci: sicut autem creatura posterior est DEO: ita etiam concipimus eandem post DEI essentiam cognitam aliam terminare cognitionem & post DEUM cognosci, quâ ratione (saltem quoad nostrum concipiendi modum) DEUS erit objectum primum ratione originis, ut loqui amat Gabriel. Tertio: DEUS (docente Gabriele) est objectum primum ratione adæquationis secundum perfectionem, h. e. DEUS quoad perfectionem æqualis est potentia suæ cognitivæ, vel actui cogniti-

B 4

nis;

nis; hæc assertio extra omnem dubitationem posita esse videtur. Sicut enim potentia DEI cognitiva est infinitæ perfectionis in genere potentiæ cognoscens: ita infinitæ perfectionis est DEUS in genere objectorum conscibi-  
lium. Tandem rectè etiam docet Biel quod DEUS ratione adæquationis secundum prædicationem non sit objectum primum cognitionis suæ, quia de omnibus, per se cognoscibilibus non potest prædicari.

III. Hic verò dubitatio se offert, an, quando DEUS scientiâ suâ versatur circa seipsum, sit cognitio comprehensiva, seu comprehensio? Ad quam quæstionem aptius responderi non potest, quàm si prius ostendatur, quid vocabulum comprehensionis significet.

IV. Ante omnia notandum, vocem comprehensionis variè à variis sumi & explicari. Nominales multas hujus vocis significationes proferunt. 1. enim juxta ipsos comprehensio est ejusmodi cognitio, quâ res ita cognoscitur, ut nihil illius rei videntem lateat; 2. juxta  
iplos

ipfos comprehensio est cognitio, quâ quid ita cognoscitur, ut inter partes eius discretio seu distinctio instituat. 3. Juxta Nominal. comprehensio est cognitio, quâ res cognoscitur non quocunque modo, sed modô, quô cognosci potest, optimô. 4. comprehensio ipsis est cognitio, quâ res cognoscitur sub omnibus prædicatis, quæ ipsi convenire possunt, 5. Comprehensio est quando cognitio eandem habet proportionem cum reliquis cognitionibus, quam habet res ipsa cognita, cum aliis rebus. De variis hisce acceptio- nibus Nominalium quid sentiendum, vid. apud *Molinam p. 1. q. 12. a. 7.*

V. *Augustinus Epist. 112. cap. 8.* distinguit inter videre & totum videndo comprehendere; & dicit, id videri, quod præsens utcunque sentitur: totum autem comprehendi dicit, quando ita videtur, ut nihil ejus lateat videntem. Ex quibus patet quod juxta Augustinum comprehensio sit talis cognitio seu visio, quâ ita res cognoscitur, ut nihil illius videntem lateat.

B 5

VI. The.

VI. *Thomas p. 1. quest. XIV. a. 3.* amplectitur quidem hanc comprehensionis seu cognitionis comprehensivæ explanationem ex Augustino a. latam; sed tamen ad eam plus videtur requirere. Juxta Thomam igitur comprehensio seu comprehensiva cognitio est, *quando res tam perfecte cognoscitur, quam perfecte cognoscibilis est*, seu requiritur, ut cognitio in se sit tantæ perfectionis in genere cognitionis, quantæ perfectionis est objectum in genere cognoscibilis. vid. Did. Ruiz *de scient. DEI, disp. VI. Sect. 2. § 4.*

VII. Commodissimè puto hinc rem peragi, si respiciatur ad vocabulum comprehensionis vel comprehendere, quid illud propriè significet, exinde enim facilius judicari potest, quid denotet, quando ad alia transfertur. Primò igitur & quidem propriè verbum comprehendere est manu capere quocunque modo, licet id, quod comprehenditur, ex parte saltem teneatur, nec quoad se totum sit intra latitudinem continentis. Hæc significatio est frequentissimi.



tissima. Sic *Plantus in Aulul. act. 2.* ait:  
*Dicant, coqui abstulerunt; comprehendite, vincite, verberate. &c.* Comprehendere h. m. acceptum quatenus sc. notat rei (licet ex parte saltim) apprehensionem, si transfertur ad intellectum, notat rei cognitionem etiam talem, quæ perfecta non est, & quâ non omne, quod in re est, attingitur, sed rei cognitæ aliquid cognoscentem adhuc latet, sicut is quoque dicitur mente aliquid comprehendere, qui aliquô saltim modo cognitione suâ rem penetrat. Deinde verò comprehendere strictius dicitur ille, qui rem non quocunque modo, sed ita continet, ut tota res sit intra latitudinem & capacitatem continentis, adeò ut ne minima quidem rei contentæ particula ostendi possit, quæ à continente non includatur, sicut v. g. coelum dici potest comprehendere omnia sublunaria; vel is, qui manu spheram continet, ita, ut, omni ex parte à manu circumscribatur, dicitur spherã comprehendere: atque h. m. si verbum comprehendere ad intellectum transfer-

fer.

fertur, talem notabit cognitionem, quâ res cognoscitur, ita ut nihil rei illius sit, quod cognitione illâ non attingatur seu cognoscatur.

VIII. Ex his manifestum est, quod prima juxta Nominales acceptio vocabuli **COMPREHENSIO** sit optima, quæ etiam est *Augustini*, ut patet ex §. 5. quando sc. significare dicitur *eiusmodi cognitionem, quâ res ita cognoscitur, ut nihil rei lateat videntem.* Hic *Vazquez* p. 1. q. 12. a. 8. disp. 53. c. 4. notat, duobus modis fieri posse, ut res cognoscatur ita, ut nihil ejus videntem lateat, seu ut res comprehendatur, i. ut cognoscatur tantum quoad omnia ea, quæ in ea dantur formaliter, v. g. quoad essentiam & proprietates, ita, ut omnia, quæ ad essentiam spectant, omnia attributa, & omnia alia, quæ formaliter in re reperiuntur, h. e. quorum entitas in re cognitâ est, quocunque tandem nomine veniant, cognitione illa attingantur, quâ ratione aliàs beatis in alterâ vita tribuitur, quod vident DEUM secundum omnia, quæ in eò sunt

sunt

sunt formaliter. Secundò juxta Vazquez, contingit rem ita cognosci, ut nihil ejus videntem lateat, i. e. nihil, quod rem illam consequitur aut ab illa dependet vel dependere potest, sicut à DEO dependere potest omne quod est possibile fieri.

IX. Si igitur vocabulum comprehensio eò, quò jam dictum est, modò accipitur, dicendum erit scientiam seu cognitionem, qua DEUS seipsum cognoscit, esse comprehensionem, quia DEUS se ipsum cognoscit ita, ut nihil, quod vel ad essentiam vel attributa spectet, DEUM lateat, & si Vazquezium sequi velimus, quamvis posterior modus ab ipso additus ad comprehensionem non videatur requiri, DEUS non tantùm cognoscit omnia; quæ in se formaliter continet, sed & illa, quæ ab ipso DEO dependent, vel dependere possunt, ut sunt existentia, futura & possibilis, de qua cognitione in seqq.

X. Secundam acceptionem COMPREHENSIONIS à Nominalibus allatam quod attinet, dici quidem non potest

potest, quòd eò modò DEUS seipsum cognoscat comprehensivè seu quod cognitio DEI quâ seipsum cognoscit, secundò modò sit comprehensio, cùm DEUS seipsum non ita cognoscat, ut inter partes sui ipsius distinguat; sicut enim DEO partes non competunt, ita nec inter eas distinctio. Sed, si vocabulum comprehensionis penitus paulò consideramus, obscurum non est, secundam comprehensionis acceptionem à Nominalibus adductam esse nullam & planè confictam. Sicut enim in rebus corporalibus ad hoc, ut una alteram comprehendat, nullò modò requiritur, & continens inter rei contentæ partes distinguat; sed dicitur alterum comprehendere alterum, quando illud continet ita, ut nihil rei contentæ sit, quod non includatur: ita idem dicendum est de comprehensione, quatenus ad cognitionem transferatur, neque enim requiritur ad cognitionem comprehensivam, ut inter partes rei cognitæ discretio instituat.

**XI. Ad tertiam COMPREHENSIONIS**

**NIS**

NIS significationem à Nominalibus excogitatam progredimur, quâ comprehensio est, quando res optimô quô potest, modô cognoscitur. Licet autem certum sit, DEUM seipsum optimô, quô cognosci potest modo, cognoscere, hoc tamen ad comprehensionem requiri, ostendi vix potest, id quod in rebus corporalibus iterum manifestum esse videtur, ubi, ut unum comprehendat alterum, non requiritur, ut alterum optimo, quô contineri potest, modô contineat, sed sufficit, si alterum ita includat, ut nihil in re illa detur, quod non sit inclusum. Similiter, ut cognitio aliqua dicatur Comprehensio, necessarium esse non videtur, ut per eam res optimô, quô potest modô, cognoscatur, sed sufficere videtur, si omnia illius rei cognitione illa attingantur ita, ut nihil sit illius rei, quod cognoscentem lateat.

XII. Juxta quartam Comprehensionis acceptionem iterum negari non potest, DEUM comprehendere seipsum, quia seipsum quoad omnia sua prædicata

cata

cata cognoscit: Sed quartus comprehensionis modus sine ratione videtur distingui à primò, quod nisi clarum esset, fusius ostendi posset.

XIII. De quinta Comprehensionis acceptione idem dicendum, quod à Nominalibus sit conficta, quamvis si admittatur, admitti etiam possit, DEUM eo modò se comprehendere.

XIV. Relinquitur E. comprehensionis vocabulum optimè sumi & explicari ab Augustino, ut constat ex superioribus, ubi de prima Comprehensionis acceptione juxta Nominales actum fuit, quâ ratione Deus comprehendit seipsum.

XV. Quod spectat explicationem comprehensionis à Thoma allatam de ea, an satis sit commoda, disputari potest. Et sanè si propriam & strictam vocis *Comprehensio* significationem attendimus, quod scilicet notat talem rei inclusionem, ut nihil illius detur, quod intra latera superficiem concavæ non contineatur, non autem ut includens vel inclusio cum re inclusa ejusdem sit

per.

perfectiōnis, obscurū non est, Thomæ explicationem esse aliquo modo alienam. Quicquid tamen sit, si quis eam velit acceptare, DEUS eō quoque modo seipsum comprehendit; Sicut enim DEUS in genere objecti cognoscibilis est infinitus: ita seipsum cognoscit cognitione infinitā.

XVI. Solum istud adhuc scrupulum moveri potest, quod habet *Augustinus lib. 12. de Civit. D. c. 18.* ubi ait: id quod scientiā comprehenditur, scientis comprehensione finitur. Si igitur cognitio DEI, quā se ipsum cognoscit est comprehensio, sequitur, DEUM comprehensione illi finiri, quod absurdum. Circa hunc locum Augustini macerat se *Durandus 1. sent. dist. XXXV. q. 1. n. 11.* & duas affert explicationes: vel enim intelligendum esse dicit Augustinum de comprehensione, quæ est per intellectum creatum, qui finitus est, vel, si intelligitur de comprehensione, quæ est per quemcunq; intellectum, Augustinum intelligendum esse putat non positivè, ut scilicet intellectus divinus

C

sic

sic sumat se ipsum ut ponat terminum, sed negativè, negando scilicet excessum, quia intellectus non exceditur ab intellectu (objecto scilicet) Ita difficultatem hanc tollere quoque nititur *Lud. Molina p. 1. q. 12. a. 7.* Simplicissimè responderi posse videtur ad dictum Augustini locum, si denuò consideretur propria & stricta vocabuli *Comprehensio* acceptio, quâ scilicet id dicitur comprehendere, quod alterum ita includit, ut nihil rei inclusæ sit extra rem includentem; sicut enim res inclusa seu comprehensa finitur intra comprehendentis superficiem & terminum: ita quando vox comprehensionis transfertur ad intellectionem, & intelligens aliquid dicitur comprehendere, comprehensione illâ objectum dicitur finiri, quia totum à cognitione attingitur, ut nihil illius extra cognitionem detur, quod non cognoscatur, seu ut nihil illius videntem lateat.





CAP. III.

*In quò ostenditur, DEUM extra se alia quoque cognoscere.*

I.

CONSIDERATA hæcenus fuit Scientia DEI in ordine ad objectum primarium, quod est ipse DEUS. Videndum jam, an DEUS alia præter & extra se ipsum cognoscat; ubi prolixè quidam Scholasticorum disputant, quæ hac in parte fuerit sententia Aristotelis & Averrois; hi enim negare videntur, DEUM aliquid extra se intelligere: & quidem, quod primò ad Aristotelem attinet, is *lib. XII. Met. c. IX.* ait: ἔπειτα δὲ λόγον, ὃ πᾶσι ἀλλοῖσι ἀπὸ εἴης τιμιώτερον ἢ τῆς, τὸ νοούμενον καὶ γὰρ τὸ νοεῖν καὶ ἡ νόησις ὑπάρχει, καὶ τὸ χεῖροστον νοεῖν τι. ὥτε φευκτὸν τῆτο καὶ γὰρ μὴ ὄραν ἔνια κρείττον ἢ ὄραν εἶναι ἀν εἴη τὸ ἀεριστὸν ἢ νόησις αὐτὸν ἀρετὰ νοεῖ. Deinde perspicuum est aliquid aliud ipsa mente fore præstantius, id nimirum, quod intelligitur. Nam & ipsum intelligere & intelligentia & deterrimum quid intelligenti conveniet. Quare si fugiendum hoc est, (etenim quæ-

C 2

dam

dam sunt, quæ melius sit non cernere) non erit utique optimum quid intelligentia. Seipsam igitur intelligit. Quæ verba non eodem modo ab interpret: intelliguntur. *Thomas ad d. l.* notat inter alia, quod Philosophus ostendere velit, Deum non intelligere aliud, sed se ipsum, in quantum intellectum est perfectio intelligentis, & ejus quod est intelligere: Pergit *Thomas*: Manifestum est autem, quod nihil aliud sic potest intelligi à Deo, quod sit perfectio intellectus ejus, nec tamen sequitur, quod omnia alia à se sint ei ignota. Nam intelligendo se intelligit omnia. Videantur apud Thomam plura. Hanc sententiam sequitur inter alios multos *Jawellus. l. XII. Met. q. XXV.* vid. *Sonc: l. XII. Met. q. LXVII.*

II. *Fonseca in loc. Arist. citat.* dicit, Aristotelem hic loqui de immediatâ cognitione, quod scilicet seipsum intelligat immediatè: quicquid sit de mediata aliarum rerum cognitione &c. videatur quoque *Vazquez. p. 1. T. 1. q. XXII. disp. LXXXVII.*

III. Si.

*DEUM extra se alia quoque cognoscere.* 37

III. Simili ratione de mente Averrois circa scientiam divinam inter Auctores non convenit. Et quidem *Averroem* in ea fuisse sententiâ, quod DEUS extra se nihil cognoscat, liquidum esse videtur ex *Comm. 51. l. XII. Met.* ubi inter alia inquit: *Quod intelligit aliud, transmutatur in sua substantia in aliud, quod posterius sanè de Deo dici non potest: E. nec prius.* Hanc Commentatoris fuisse mentem, firmiter sibi perluasum habet *Gabr. Biel. 1. Sent dist. XXXV. q. II.* ubi multa ex Averroce producit argumenta, quibus eum suam sententiam confirmare putat. Hoc ipsum commentatori tribuit etiam *Ferdin. Vello-sillus Episc. Lucens. advert. in VI. Tom. Hieron. ad quest. 5.* & addit eum hoc asserere de omnibus substantiis separatis. Vide eundem *advert. in VIII. Tom. Augustin. ad quest. 5.* Aliam mentem tribuit Averroei *Baconius*, cujus verba, ne operam perdamus, non apponimus. Videatur etiam *Soncinas l. 12. Met. q. 67.* & *Lud. Molina p. 1. q. 14. art. 5. & 6.*

IV. Similiter hic contentio est inter

C 3

Auto-

Autores de mente *Hieronimi*: Hic enim ad locum *Habac. c. 1. Mundi sunt oculi tui ne videant malum*; ait: absurdum est ad hoc deducere divinam Majestatem, ut sciat per momenta singula, quot nascantur culices, quotve moriantur. &c. Ubi quidam Hieronymum errasse, & Deo scientiam aliarum rerum denegasse, putant: alii autem eum defendunt, & nominatim *Suarez. p. 1. Sum. Theol. l. 3. c. 3.* dicit Hieronymum non agere d. l. de scientia DEI speculativa, sed de providentia, & solum intendere, non ita curare DEUM vilia & irrationalia secundum se spectata, sicut curat humana. Et addit locum *Pauli 1. Cor. 9. Nunquid de bobus cura est DEO?* Alias explicationes vide apud *Ferdin. Vellofillum advert. in VI. Tom. B. Hieron. ad quæst. V.* Verùm cum parum referat, quid hac in parte statuerit Aristoteles, quid Averroes, quid Hieronymus vel alius, ideò hac de re solliciti esse nolumus, sed ad rem ipsam potiùs progrediemur.

V. Quia igitur hætenus de primario

rio

*DEUM extra se alia quoque cognoscere.* 39

rio scientiæ divinæ objecto, ipso scilicet DEO egimus: ut secundarium quoque, res scilicet extra DEUM penitus paulò consideremus, & ordo postulare, & operæ pretium esse videtur. DEUM autem res, extra se cognoscere ratione non tantum, sed & Scripturæ autoritate probari potest. Ratione quidem h. m. 1. Cujus intellectus est infinite perfectus, ille cognoscit omnia cognoscibilia. Atqui intellectus divinus est talis. E. cognoscit omnia cognoscibilia. E. etiam res extra se, cum & illæ in numero cognoscibilium contineantur. 2. Qui res extra se producere decrevit, eas quoque cognoscit. Atqui DEUS res extra se producere decrevit, E. eas quoque cognoscit.

VI. Ex scriptura infinita adferri possent testimonia, nisi pauca nobis sufficere putaremus. Adducimus autem locum ex *Psalms. 113. Quis sicut Dominus DEUS noster, qui in altis habitat & humilia respicit.* Et ex *Psalms. 139. v. 1. Probavisti me, Domine, & cognovisti me: & v. 15. Non est occultatum os meum à*

C 4

te,

*te, quod fecisti in occulto, & substantia mea in inferioribus terra. Imperfectum me viderunt oculi tui, &c. Jer. 23. v. 23. 24. an latere quisquam potest, ut ego non videam ipsum.*

VII. Quod si antequam ad alia abeamus, consideraverimus argumenta quæ ex Averroë, si mens ejus est, quam verba prodere videntur *Comm. 51. lib. 12. Met.* desumi possunt, & huic nostræ sententiæ obstant, operam fortassis perdituri non sumus. (1.) obesse videtur hoc argumentum. *Quicquid intelligitur, est perfectio intelligentis. Nulla res extra DEUM est perfectio DEI intelligentis. E. N. res extra DEUM ab ipso DEO intelligitur.* Major probatur: Sicut enim tabula nuda, quæ nullis planè literis est consignata, hoc ipso perficitur, quod variis exornatur figuris & literis: ita intellectus in se spectatus, quatenus à Philosopho comparatur tabulæ nudæ *l. 3. de anim. 1. 15.* nondum varias rerum percipit species, quibus tamen mirum in modum

dum

DEUM extra se alia quoque cognoscere. 41

dum perficitur, dum eas recipit. II. Quicumque intellectus intelligit aliud à se, transmutatur in illud. DEI intellectus non transmutatur in aliud à se. E. DEI intellectus non intelligit aliud à se. Min: per se clara est. Major probatur, quia juxta Arist. 3. de anim. t. 27. 36. 37. intellectus actu intelligens est idem cum re, quam intelligit, antequam autem intelligat, non debet esse id, quod cognoscendum est: lib. 3. de anim. tex: s. E. quando actu intelligit, transmutatur in id, quod antea non erat. III. Quicquid imperfectionem importat, DEO non est tribuendum. Atqui DEUM cognoscere quaedam extra se, importat imperfectionem. E. id DEO non est tribuendum. Maj: probatione non indiget. Minor probatur, quia, docente Philo-  
pho XII. Met. 9. καὶ ὅτι μὴ ὁμοῦν ἔνια κρείττων, ἢ ὁμοῦν. IV. Si intellectus idem est cum re intellectu, sequitur, DEUM se solum intelligere. Antecedens est verum. Ergo & consequens. Consequentia probatur, quia intellectus divinus idem est cum solò DEO, non verò cum rebus

C 5

extra

extra DEUM Anteced. prob. ex 3. de  
anim. t. 27. 36.

II X. Hæc omnia & si quæ alia sunt,  
tanti roboris esse non videntur, ut no-  
stram tum rationibus, tum scripturâ S.  
munitam evertant sententiam. Ad 1.  
Resp. majorem propos. duplicem ha-  
bere posse sensum. 1. enim intelligi  
potest propriè & formaliter, ut sensus  
sit: Quicquid intelligitur, id ipsum in  
se spectatum & quoad propriam suam  
entitatem est perfectio intelligentis.  
Hôc sensu falsa est major, quod multis,  
nisi res clara esset, ostendi posset, c. g.  
lapis intelligitur, nec tamen quoad pro-  
priam suam entitatem & in se spectatus  
perficit intellectum: Sic DEUS à seipso  
intelligitur & cognoscitur, nescio ta-  
men, an DEUS sui ipsius perfectio com-  
modè possit dici. 2. Major prop. acci-  
pi potest ut causalis, h. m. Quicquid in-  
telligitur est causa perfectionis alicujus  
in intelligente, sive in intelligente efficit  
aliquam perfectionem, quâ ratione ma-  
jor non nisi de cognitione ab objecto  
producta procedit, ut hic sit sensus:  
Quic-



Quicquid intelligitur ita, ut in intellectu producat sui cognitionem, perficit intellectum seu est causa perfectionis in intellectu: hoc ipso enim, quod intellectionem producit, intellectum perficit; nec aliud quid evincit probatio. Hoc modo concedi potest totum argumentum, aliud enim concludi nequit, quam quod nulla res extra DEUM ab ipso DEO intelligatur, ita ut in DEO sui cognitionem producat, quod verissimum. Ad 2. Resp. majorem propositionem dupliciter posse intelligi, 1. de reali & crassa transmutatione h. m. Qui intellectus intelligit aliud à se, transmutatur in illud ita, ut essentiam suam abjiciat, alterius verò naturam induat, h. m. major falsissima est, & nequidem de hominis intellectu procedit: neque enim hominis intellectus, dum intelligit lapidem, fit lapis &c. 2. intelligi potest de transmutatione, ut loquuntur, notionali, quâ ratione illud dicitur transmutari in alterum, quod alterius similitudinem aut imaginem recipit: juxta hanc acceptionem

majo-

majoris sensus erit hic: Quicumque intellectus intelligit aliud à se, transmutatur in illud notionaliter, h. e. recipit, ejus speciem & per eam fit similis rei cognitæ, & aliquô modô res ipsa: hóc sensu Aristotelem intelligendum esse, certum est, sed ad præsens hoc nihil facit, quia Philosophus l. c. loquitur de intellectu humanô, nec major propositio aliô sensu accipienda vel admitenda est; De intellectu igitur in genere majorem negamus unà cum probatione. Ad 3. Resp. negando minor. proposit. quod attinet probationem ex Aristotele allatam l. 12. Met. 9. respondet *Thomas ad d. l.* verba Philosophi intelligenda esse de iis, quæ si intelliguntur, retrahunt intellectum à dignioribus intelligendis, quod de iis, quæ à DEO cognoscuntur, dici nequit. Eodem modô respondet *Gabr. Biel. 1. sent. dist. 35. quest. 2.* In argumento quarto negamus tum consequentiam, tum antecedens. Consequentiam quidem, quia eâ stante sequitur intellectum hominis se solum cognoscere,  
ratio,

ratio, quod est idem cum re intellecta. Antecedens verò universaliter acceptum verum non esse putamus probatio addita nihil efficit, quia Philosophus loquitur de intellectu hominis.

CAP. IV.

De modo, quò DEUS res extra se cognoscit:

I.

Licet autem certum sit, DEUM cognoscere res extra se, liquidum tamen non est, quomodo id fiat, neque hæc de re inter Autores convenit. Thomas p. I. q. XIV. a. V. dicit, quòd aliquid dupliciter cognoscatur, uno modo in se ipso: alio modo in altero. In seipso cognoscitur aliquid, quando cognoscitur per speciem propriam adequatam ipsi cognoscibili, sicut cum oculus videt hominem per speciem hominis. In alio autem videtur id, quòd videtur per speciem continentis, sicut, cum pars videtur in toto per speciem totius &c. Pergit Thomas: Sic igitur dicendum est, quòd DEUS seipsum videt in seipso, quia seipsum videt per

per essentiam suam: alia autem à se videt non in ipsis, sed in se ipso, in quantum essentia sua continet similitudinem aliorum ab ipso. In præced. dicit: Quicumque effectus præexistunt in DEO, sicut in causa prima, necesse, quod sint in ipso ejus intelligere. Clarius in art. seq. ubi rejicit sententiam quam Averroi quidam tribuunt, quòd sc. DEUS alia à se cognoscat non nisi in communi, docet, DEUM cognoscere alia à propriâ cognitione, & inter alia inquit: Et sic omnia in DEO præexistunt, non solum, quantum ad id, quod commune est omnibus, sed etiam quantum ad ea, secundum quæ res distinguuntur. Et sic cum DEUS in se omnes perfectiones contineat, comparatur DEI essentia ad omnes rerum essentias, non sicut commune ad propria, ut unitas ad numeros, vel centrum ad lineas, sed sicut perfectus actus ad imperfectos, ut si dicerem, homo ad animal, &c. Manifestum est autem, quod per actum perfectum cognosci possunt actus imperfecti, non solum in communi, sed etiam propriâ cognitione: sicut quod cognoscit homi-

homi-

hominem, cognoscit animal propria cognitione &c. Sic igitur cum essentia DEI habeat in se quicquid perfectionis habet essentia cujuscunque rei alterius, & adhuc amplius, DEUS in seipso potest omnia propria cognitione cognoscere. Hanc Thomæ sententiam sequi videtur inter alios etiam Ferd. Vellozillus advertit: in VI. Tom. B. Hieron. ad V. quest. Et autor libri de divin. nomin. (qui vulgò, sed malè dicitur esse Dionys. Areop.) c. 7. Ita igitur, inquit ille, DEUS existentia cognoscit non scientiâ, quæ sistit existentium, sed quæ sit sui ipsius.

II. Ex hisce, quæ prolixius paulò ex Thoma recitata fuerunt, acceptamus illud, quod statuit, DEUM rerum extra se habere propriam cognitionem. Sed notandum est, quòd DEUM habere propriam rerum extra se cognitionem, dupliciter possit intelligi. I. ut Tò *Proprium* referat cognitionem ad subiectum, cujus est cognitio, seu rem cognoscentem, ut sc. cognitio propria sit & dicatur illa, quæ cognoscenti est propria, seu quæ soli cognoscenti competit,

petit, quomodo dico, visionem, quæ fit oculô corporis, esse propriam animalis cognitionem, quia sc. soli animali competit. 2. ut *Tò proprium* referat cognitionem ad objectum seu rem cognitam, ita ut cognitio propria dicatur illa, quâ res cognoscitur non tantum quoad esse commune sed etiam quoad esse proprium, quomodo cognitio propria animalis est v. g. quando illud cognoscitur non tantum sub ratione corporis animati, sed etiam sub ratione sensitivi. H. l. cum tribuitur DEO propria rerum extra se cognitio, non sumitur ea primô, sed secundô modô, ut sensus sit, DEUM non cognoscere res tantum quoad esse commune, sed etiam quoad esse proprium, quô sc. à se invicem distinguuntur.

3. Quod verò concernit alterum, quod ait Thomas, *DEUM cognoscere res extra se, non in seipsis, sed in seipso, in quantum essentia DEI continet similitudinem aliorum ab ipso: &c.* id non unô modô ab Autoribus explicatur. *Cajetanus ad l. c.* Thomæ ait, quod si *in se ipso*  
 acci.

accipiatur *objectivè*, ita, ut videri in se ipso significet videri non in alio objecto seu viso. Juxta Cajetanum mens Thomæ erit hæc, quòd DEUS cognoscat seipsum tanquam objectum primum, & per se ipsum tanquam primum objectum cognoscat etiam secundarium, res sc. extra se. Ita Cajetanum etiam intelligit *Vazquez. disput. LX. c. I.*

IV. Verùm hæc sententia nequaquam potest admitti, id quod facile ostendi potest tali argumento: Quodcunque ita se habet, ut ratio ejus propria in alio, objecto scil. prius cognito nullo modò includatur, id per illud objectum prius cognitum cognosci non potest. Atqui quævis res extra DEUM, quæ est objectum scientiæ divini, ita se habet, ut ratio ejus propria in objecto prius cognito nempe DEO nullo modò includatur. Ergò res extra DEUM per DEUM tanquam objectum prius cognitum non potest cognosci. Major negari nequit: Si enim duo objecta nullam planè quoad propriam rationem

D

tio

tionem habent convenientiam nec in  
essendo, nec in repræsèntando, quo-  
modo alterum eorum potest esse me-  
dium, per quod alterum cognoscitur?  
De minore etiam dubium esse non pot-  
est, modò consideretur, quòd rerum  
extra DEUM rationes propriæ DEO re-  
pugnent, ex quo facilè intelligi poterit,  
eas in DEO non includi. Qua ratione  
igitur per DEUM tanquam objectum  
primarium, aut prius cognitum co-  
gnosci possint res extra DEUM, non  
video.

V. *Vazquez part. I. disp. LX. c. 3.*  
existimat, DEUM intueri creaturas in  
se ipso tanquam in specie expressâ &  
verbo. Verba ejus sunt: *Essentia di-  
vina sic comparatur DEO, ut ipsa non so-  
lùm sit essentia, quâ DEUS est, sed ei et-  
iam sit sui ipsius cognitio, sic ergò non so-  
lùm DEUM constituit in ratione DEI,  
sed etiam ipsum reddit intelligentem sui  
ipsius: unde & sibi est veluti species ex-  
pressa & verbum sui, & est objectum co-  
gnitum. Præterea repræsèntat creatu-  
ras actu, & est earum cognitio, quare illis*  
compa-



comparatur, ut verbum earum. Hæc Vazquezii explicatio duobus modis potest intelligi, 1. quòd Creaturæ cognoscantur in essentia DEI, quatenus illa est verbum sive Cognitio præcisè ipsius DEI 2. quòd creaturæ cognoscantur in essentiâ divina, quatenus illa est cognitio creaturarum. Quòd duobus hisce modis intelligi possit sententia Vazquezii, manifestum est, si consideretur, quòd essentia DEI, quando talis vel talis cognitio dicitur, hanc appellationem & quasi specificationem habeat ab objecto, ita, ut pro objectorum diversitate, diversam etiam appellationem habeat. Quia autem DEUS & creaturæ diversa sunt objecta, ideò diversam appellationem ab illis accipit essentia divina, ita ut ad DEUM ipsum terminata dicatur cognitio DEI, ad Creaturam verò terminata dicatur verbum & cognitio creaturæ.

VI. Si priori modò intelligit Vazquez suam sententiam, quòd scilicet DEUS cognoscat creaturas in sua essentiâ, quatenus essentia divina termina-

tur ad DEUM, & est verbum seu cognitio præcisè ipsius DEI, absurda est. Quomodo enim DEUS, dum cognoscit essentiam suam, quatenus præcisè ad ipsum DEUM terminatur, ejusque verbum & cognitio dicitur, nullum verò planè ordinem ad creaturam dicit, in illa ipsa essentiâ seu cognitione creaturam potest cognoscere? Si vero Vazquez sententiam suam posteriori modo intelligit, quòd scilicet DEUS cognoscat creaturas in sua essentia, quatenus ea est verbum & cognitio creaturarum, manifestum est, quòd loquatur de actu reflexo, qui nostrò concipiendi modo super cognitionem creaturarum reflectitur. Si enim DEUS in sua essentia, quatenus ea est creaturæ cognitio, cognoscit creaturam, sequitur, quòd creaturæ cognitio præsupponatur, ut in illa DEUS cognoscat creaturam. De hâc autem cognitione creaturarum (quam Vazquez jam factam esse præsupponit, & in qua jam factâ dicit DEUM cognoscere creaturas) quæstio est, quomodo fiat?

fiat?

fiat? De hoc Vazquez nihil dicit.  
Plura qui desiderat, videat *Svarez p. 1.*  
*l. 3. c. 2.*

VII. *Scotus in Report. 1. sent. d. 36. q. 2.*  
dicit, objectum, quod terminat actum,  
duplicem habere habitudinem ad po-  
tentiam, quia quoddam est objectum,  
quod primò terminat actum tanquam  
primus terminus; aliud est objectum,  
quod in ipsò primò termino includitur  
quodammodo, hòc secundò modò ait  
Scotus, creatura terminat actum intel-  
lectus divini. Verùm vix commodè  
explicari potest, quomodo creatura in  
DEO contineatur: Si enim dicitur,  
quòd formaliter in DEO contineatur,  
falsum id esse, vel cœcus videt; Si emi-  
nenter, dubitatur, an hoc sufficiat ad  
claram rei cognitionem. Si enim DE-  
us essentiam suam contempletur, in  
quâ virtute seu eminenter continentur  
creaturæ, in eâ virtutem creaturam  
producendi vel conservandi invenit  
eamque cognoscit: creaturam autem  
in eâ formaliter non deprehendit: E-  
neque in ea cognoscit. Hoc igitur sal-

D 3

tim

tim dicimus, DEUM cognoscere res extra se in se ipsis, quatenus essentia divina ad easdem in se ut cognoscibiles terminatur, an autem modus omni ex parte & accuratè explicari possit, non immeritò dubitamus.

## CAP. V.

*De immutabilitate certitudine & infallibilitate scientiæ divinæ.*

## I.

**H**æc ipsa scientiæ DEI est immutabilis, certissima, & infallibilis. Certitudo & infallibilitas facile colligi potest ex intellectûs divini infinitâ perfectione. Sit argumentum tale. Qui intellectus infinitâ pollet perfectione, habet etiam certitudinē & infallibilitatē in cognoscendo. Atqui intellectus divinus est talis; E. De minore nemo facile dubitabit. Major probatur, quia repugnat, intellectûm infinitâ perfectione præditum esse, & tamen aliquâ adhuc perfectione, v. g. infallibilitate in cognoscendo esse destitutum.

II. Sal.

*certitudine & infallibilitate scientiæ divinae.* §.

II. Saltim de immutabilitate dubium oriri potest; videtur enim DEUS jam aliquid non scire, quod antea scivit, quod si verum est, scientiam DEI mutabilem esse nemo non videt. Sit argumentum: Si DEUS jam non scit aliquid, quod antea scivit, ejus scientia est mutabilis. Atqui verum est prius. E. & posterius. Consequentia est clara. Antecedens probatur, quia DEUS ab æterno scivit mundum, qui actu non erat, sed saltim in potentiâ objectivâ, esse condendum; hoc autem jam non scit: quomodo enim jam scire potest, mundum esse in potentiâ objectivâ, adeoque adhuc condendum, cum non sit in potentiâ objectiva s. cum non sit condendus? Quod enim in potentiâ objectiva non est, non potest sciri, quod sit in potentiâ objectivâ: & quod non condendum, non potest sciri, quod sit condendum.

III. Ad hoc ut respondeatur, id quod supra monuimus, repetendum est; quod in Scientia DEI ad tria habendus sit respectus. I. enim spectanda est

D 4

ipfa

ipsa DEI essentia, quæ quatenus ad ob-  
jectum cognoscibile terminatur, scien-  
tia vocatur. 2. objectum. 3. respectus,  
quem essentia divina habet ad obje-  
ctum, qui respectus duo connotat:  
I. aliquid DEO intrinsicum, quod est  
ipsa DEI essentia. 2. extrinsecum nem-  
pe objectum. His præmissis, dicimus,  
scientiam DEI quoad prius non mutari,  
est enim ipsa essentia divina: quoad se-  
cundum verò accidit aliqua mutatio,  
objectum enim scientiæ divinæ muta-  
ri, nemo facile negaverit: ex his intel-  
ligitur, quid de tertio sit sentiendum,  
nempe respectus quoad intrinsicum  
non mutatur, mutatur verò quoad ex-  
trinsecum scilicet objectum. Hisce  
sic stantibus, major in argumentô pot-  
est dupliciter intelligi: (1.) hõc mo-  
dõ: Si DEUS jam non scit aliquid, quod  
antecà scivit, i. e. si essentia DEI jam ad  
aliquid non terminatur, ad quod antea  
terminabatur, ejus scientia est mutabilis  
in se & quoad entitatem seu essentiam:  
hoc sensu major est falsissima, quod e-  
nim essentia DEI jam ad objectum ali-  
quod

quod non terminatur, ad quod antea terminabatur, nullam in essentia DEI efficit mutationem, sed in solo objecto quod quia jam hoc, jam alio modo se habet, essentia DEI jam sub hac, jam sub alia ratione ad illud terminatur, sine tamen sui mutatione. Deinde intelligi potest major hoc modo; Si DEUS jam non scit aliquid, quod antea scivit, i. e. Si essentia DEI jam non terminatur ad aliquid, ad quod terminabatur antea, ea est mutabilis quoad respectum, quatenus objectum includit, seu est mutabilis quoad objectum, sic conceditur totum argumentum. Sicut enim objectum jam sub hac, jam sub alia ratione se se habet; ita essentia DEI ad illud jam terminatur sub hac ratione, jam non sub hac, sed sub alia ratione, & sic illud scit sub hac ratione esse, non scit autem sub alia ratione esse, cum sub ea non sit, hic autem nihil mutatur, nisi respectus ratione objecti, vel ipsum objectum.

D 5

CAP.

## CAP. VI.

*De triplici DEI Scientiâ, Et in specie, de naturali.*

## I.

**S**Æpius hucusque dictum fuit, quòd essentia DEI, quatenus ad objectum scibile terminatur, dicatur scientia. Sicut autem objecta extra DEUM non sunt ejusdem rationis: ita essentia DEI terminata ad diversa illa objecta diversa etiam scientiæ appellationem accipit. Primò igitur res considerari possunt sub ratione possibilitatis, seu quatenus fuerunt ab æternò possibles, quatenus ad eas sub hac ratione terminatur essentia divina, vocatur scientia naturalis, scientia simplicis intelligentiæ, simplicis notitiæ, hanc scientiâ, ut patet, DEUS cognoscit res possibles.

2. Res extra DEUM considerari possunt, quatenus absolutè sunt futuræ, hanc ratione essentia DEI ad illas terminata vocatur scientia libera, scientia visionis. Huc spectant etiam res, ut sunt præsentis vel quatenus fuerunt. 3. quædam

non



nō sunt absolutè futura, sed saltem cum  
conditione, ita, ut futura demum sint  
dicenda, si conditio ponatur, ad hæc si  
terminatur essentia divina, dicitur sci-  
entia media, scientia conditionata. e. g.  
DEUS ab æternō cognovit, mundū esse  
possibilē, fuit hæc scientia naturalis seu  
simplicis intelligentiæ: Porro cogno-  
vit, mundum non tantū esse possibi-  
lem, sed & futurum, fuit igitur scientia  
libera seu visionis, quâ scientiâ cogno-  
scit etiam mundum, ut jam existit, &  
post ejusdem destructionem cogno-  
scet eum amplius non existere. Simi-  
liter, quod ad mediam attinet scien-  
tiam, ex Scripturis multa ejus possunt  
desumi exempla, ex quibus unicum sal-  
tem hîc adferemus, quod habetur  
*Matth. 11. 21.* ubi Salvator ait: væ tibi  
Chorazin, væ tibi Bethsaidan, quoniam  
si in urbe Tyri, & Sidonis factæ fuissent  
virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim  
in sacco & cinere poenitentiam egis-  
sent. Hîc Salvator cognovit Tyrio-  
rum & Sidoniorum poenitentiam, quæ  
futura fuisset, si conditio fuisset posita,  
si sci-

si scilicet tanta signa, quanta tempore Christi fiebant, apud ipsos facta fuissent. De his infrâ.

II. Prima illa scientia cum vocatur naturalis, id non ideò fieri putandum est, quia hæc scientia est ipsa natura & essentia DEI, sic enim omnis scientia DEI esset naturalis, cum quævis scientia, quæ DEO tribuitur, quoad entitatem suam spectata, sit ipsa DEI essentia; sed naturale h. l. opponitur libero, & sicut aliàs potentia naturalis dicitur, quæ positis omnibus & iisdem requisitis ad agendum non potest non agere: ita scientia DEI naturalis dicitur, quia DEUS per eam res possibles necessariò cognoscit: Sicut enim res necessariò sunt possibles: ita necessariò ex perfectione divini intellectûs fluit, ut eas cognoscat. Sicut autem aliàs potentia libera dicitur, quæ positis omnibus requisitis ad agendum, potest agere & non agere, agere hoc & agere illud: ita scientia DEI libera sic dicitur, quia per eam DEUS res cognoscit, ut easdem potuerit etiam non cognoscere. Nam  
si de-

si decrevisset easdem non producere,  
aut ad eas non concurrere, sicut eas  
producere decrevit; futuræ non fuis-  
sent, adeoque sub ratione futurorum  
cognitæ à DEO non fuissent. Potue-  
runt ergò præsciri tanquam futuræ  
& non præsciri, & DEUS potuit eas  
præscire & non præscire. Ad mediæ  
scientiæ appellationem quod attinet,  
ea sic dicitur, quia media est inter na-  
turalem & liberam DEI scientiam, dum  
nec ad naturalem planè, nec prorsus ad  
liberam referri potest. Nam sicut li-  
bera est rerum futurarum: ita & media  
versatur circa futura saltim sub condi-  
tione: sicut autem naturalis antecedit  
omne decretum DEI liberum, saltim  
quoad nostrum concipiendi modum,  
versatur enim circa res possibiles, circa  
quas, ut tales sunt, nullum datur decre-  
tum divinum: ita & media DEI scien-  
tia est ante liberum DEI decretum. Ex  
quo facilè etiam apparet, quomodo  
media DEI scientia differat. 1. à libera:  
libera enim est absolutè futurorum:  
media verò est eorum, quæ cum con-  
ditione sunt futura. 2. à naturali, nam  
natu'

naturalis est rerum possibilium; media  
verò futurorum, saltem sub conditione.  
Sed de his omnibus seorsim.

III. Quod igitur attinet scientiam  
simplicis intelligentiæ, vel, ut ab aliis  
vocatur, scientiam DEI naturalem, eam  
pro objecto habere res posibles, dixi-  
mus. Imprimis igitur explicandum  
hic est, quid per possibile intelligatur.  
Habet autem possibile appellationem  
suam à potentiâ; quænam verò illa sit,  
controversia est inter Scholasticos.  
*Scotus* quidem in *I. distinct. XLIII.*  
*quest. un. & Report. ibid. quest. I.* statuit,  
*rem esse possibilem ab intellectu divino,*  
*tanquam causa principiativè.* quæ verba  
primò intuitu ancipitem cogitandi cu-  
ram adferunt, ut etiam multis Scoti o-  
pinio visa fuerit temeraria, quòd con-  
cedat, res omnes vi intellectûs divini  
habere esse diminutum ab æterno i. e.  
aliquam existentiam. Verùm qui hoc  
tribuunt Scoto errant ac decipiuntur:  
neque enim Scoti mens est, rem esse  
possiblem i. e. habere existentiam ab  
intellectu divino, tanquam à causa  
prin-

principiatiuè, seu, intellectum ab æterno producere illud esse possibile, ita, ut ad eius existentiam terminetur realis productio: sed per esse diminutum intelligit esse rerum, quod habent obiectivè in intellectu, seu esse cognitum atque hoc esse, & hanc appellationem res omninò habent ab intellectu.

IV. Verùm licet Scotus per esse diminutum, quod res possibles habere dicit ab intellectu, non intelligat esse existentiaè, sed saltim esse cognitum: non tamen sententia ejus admittenda est, quòd scil. res possibles dicantur ideò, quia ab intellectu divino cognoscuntur. Nam ut est apud Arist. *lib. IX. Met. cap. XII.* non tu verè es albus, quia nos te dicimus album; sed quia es albus, ideò nos verè te album dicimus: similiter, non quia res cognoscitur, est possibilis; sed quia est possibilis, ideò apta etiam est, ut cognoscatur. Et sanè, si res ideò est possibilis, quia cognoscitur ab intellectu, etiam ens rationis possibile erit, cùm & illud obiectivè sit in intellectu & ab eo cognoscatur: At  
ens

ens rationis esse possibile, est ex eorum numero, quæ contradictionem involvunt. Licet autem hac in parte Scotum sequi non possimus, mox tamen veram proponere videtur sententiam, dum l. c. inquit: *res possibilis formaliter seipsâ est possibilis.*

V. *Gabr. Biel. 1. distinct. XLIII. quest. 2.* possiblea vocat, non, quod ex se antequam referantur ad omnipotentiam, sint possiblea, sed quatenus cum ea comparantur. Nempe absurdum Gabrieli non videtur, possibile per potentiam, & potentiam per possibile definirî, cum sint relata, quæ per se invicem definirî possunt. Non disputabimus jam, an potentia & possibile sint relata; falsum autem est, quod relata per se invicem definirî possint, si quidem formaliter sumuntur, cum idem (positâ tali definitione) ingrediatur sui ipsius definitionem, ut ostendit B. Stalius. *Reg. Philos. tit. 12. Reg. 4.* Pluribus ostenderem ex *Aristotele s. Met. 15.* hanc sententiam non procedere, nisi præstitum illud esset à *Vazquez. p. I. quest.*

*quest. XXV. a. 3. disp. CIV. c. 2.* Argumentor autem contra sententiam Gabrielis h. m. Quicquid rationem suam formalē habet, antequam referatur ad alterū, id rationem suam formalē non exinde habet quod ad aliud refertur. Atqui possibile habet rationem suam formalem, antequā referatur ad omnipotentiam. Ergò exinde, quòd ad omnipotentiam refertur, non habet rationem possibilis. Major suā luce clara est. Minor probatur, quia, cū quæritur, cur hoc potius, quàm alterum sit possibile, ut per potentiam DEI producat, aliter responderi non potest, quàm, quia hoc in se ita est comparatum, ut non involvat repugnantiam; alterum verò repugnantiam, involvat. Ergò prius, quàm aliquid referatur ad potentiam DEI, habet rationem formalem possibilis, quia sc. in se non involvit repugnantiam, ideò & per potentiam DEI producibile est.

*VI. Suarez. disp. Met. XXX. sect. XVII. n. 10.* dicit: possibile sumi dupliciter  
1. positivè, & sic denominationem habere

E

bere

bere à potentia: 2. pro non repugnantia. Verùm si Svarez possibile positivè acceptum ita explicat, ut intelligat potentiam agentis, ita, ut possibile à potentia agentis primò denominationem habeat, apertè falsum dicit: cùm prius res in se spectetur ut possibilis, quàm referatur ad potentiam agentis. Posteriozem verò acceptionem POSSIBILIS sicut non planè rejicimus: ita pluribus est explicanda.

VII. Ut igitur adæquatum hujus scientiæ objectum explicemus, not. possibile dupliciter dici. 1. aliquid dicitur possibile huic vel illi, v. g. Creaturæ &c. sed hanc acceptionem hîc non attendimus: quod enim possibile est tantum creaturæ, id hanc scientiam simplicis notitiæ non exhaurit, sed si ad eam refertur, habebit se ut objectum inadæquatum: cùm præter id, quod creaturæ est possibile, detur aliud, quod creaturæ potentiam non respicit. 2. dicitur aliquid possibile absolutè, de quo agit Aristoteles *lib. IX. Met. c. 3.* & sic possibile vocatur illud, quò positò in actu,

actu,



actu, nihil sequitur, quod sit impossi-  
bile. Verum neque possibile hoc po-  
steriori modo, propter latitudinem,  
objectum adæquatum scientiæ divinæ,  
quæ naturalis & simplicis intelligentiæ  
dicitur, esse potest, quòd Sole meridia-  
nò clarius est, si consideretur (1.) quod  
objectum adæquatum sit illud, quod  
potentiæ, quæ circa illud versatur, est  
æquale, ita, ut circa omne illud, quod  
sub eò continetur, potentia actum su-  
um possit exercere; & vicissim, circa  
quod potentia suum actum exercere pot-  
est, sub eò contineatur. 2. quod scientia  
simplicis intelligentiæ versetur circa  
possibilia extra DEUM: his, præmissis  
patet, quod diximus, nempe possibile  
absolutè sic dictum & in hac latitudine  
sumtum non esse objectum adæqua-  
tum naturalis scientiæ DEI, quia non  
est huic scientiæ æquale, sed latius pa-  
tet, quàm scientia DEI naturalis, cum  
hac versetur tantum circa possibilia  
extra DEUM. Possibile autem absolutè  
sic dictum & in sua latitudine acceptum,  
complectitur etiam ipsum DEUM.

IIX. Dicendum igitur ex *Javello lib. 9. Met. q. 11.* Possibile dupliciter sumi: 1. prout opponitur necessario & impossibili, quâ ratione illud dicitur possibile, quod potest esse & non esse: dixi opponi necessario, quia hoc non potest non esse: deinde impossibili; hoc enim non potest esse. 2. prout opponitur tantum impossibili, non verò necessario, nam posteriori hōc modò sumtum possibile sub se complectitur necessarium: Hisce ita adductis, dicimus, objectum scientiæ DEI naturalis seu simplicis notitiæ esse possibile absolute non hōc posteriori, sed priori modò sumtum, quò modò DEUM sub se non complectitur.

## CAP. VII.

*De modò, quò possibilia à DEO cognoscuntur.*

## I.

QUâ ratione autem hæc possibilia à DEO cognoscantur, non una Auctorum est sententia. *Suarez. p. 1. lib. 3. c. 2.* prolixè ostendere conatur, DEUM  
id

quò possibilis à DEO cognoscuntur. 69

in se ipso tanquam in causa cognoscere creaturas posibles. Provocat ad autoritatem Thomæ p. 1. q. 14. a. 5. l. 1. Contra Gentiles c. 48. 49. seqq. quem sequuntur Capreol. Cajet. Ferrariensis & alii: Probat Svarez suam sententiam l. c. n. 4. quia DEUM h. m. cognoscere creaturas posibles in seipso non involvit repugnantiam, neque ostendi potest impossibile. Deinde quia est perfectissimus modus omnium qui cogitari possunt. E. est DEO attribuendus. Quod verò hic modus cognoscendi sit perfectissimus, probat Svarez exinde, quia, quò res aliqua inferior per altius & nobilius medium cognoscitur, eò perfectius cognoscitur, quia nobilitas cognitionis ex mediæ excellentia maximè sumi solet, sed divina essentia est medium excellentissimum, quod cogitari potest, ut per se constat.

II. Quod si quis objiciat: Melius esse, rem cognoscere directè, & in se absque medio, quàm per medium, quantumvis excellens. Respondet

I 3

Svarez.

Svarez. d. l. his verbis: *Hæc cognitio per medium non tollit, quin tandem obiectum secundarium in se & directè & secundum illum respectum immediatè cognoscatur, & ita hæc cognitio habet totam perfectionem alterius, & addit aliam, quæ est habere talem cognitionem, ut conjunctam tali medio, quod non potest non addere magnam perfectionem.*

III. Pergit Svarez. §. 5. & porro idem probat, cum inquit: *Hoc est signum comprehensionis causæ. E. si possibilis est, indicat comprehensionem summam, quæ cogitari potest. Imò putat hoc necessarium esse ad perfectam comprehensionem. Nisi enim DEUS cognoscatur exactè & perfectè sub ratione causæ primæ sufficientis, quantum est ex se ad omnia non comprehenditur. Tandem §. 8. hoc confirmat ex comparatione extremorum inter se, quia ad perfectam cognitionem DEI & creaturarum non sufficit illa extrema directè & simpliciter cognoscere, sed etiam illa inter se comparare cognoscendo habitudinem unius ad aliud, vel secundum excas-*  
sum.

*sum, vel secundum dependentiam & emanationem possibilem &c.*

IV. Verum hæc sententia Svarezii dubiô non caret. Nam cum dicit Svarez, DEUM creaturas posibles in sua essentia tanquam in causa cognoscere, aut essentiam sumit absolutè & sine respectu ad possibilis, aut cum connota-tô, seu cum respectu ad res posibles, quas virtualiter continet. Priori modo Svarez essentiam DEI non considerat, eatenus enim non dicitur causa; falsum etiam est, DEUM in essentia sua absolutè & sine respectu ad creaturas consideratâ cognoscere creaturas. Sumit E. essentiam DEI respectivè, respectu scil. creaturarum possibilem, quæ sicut esse & produci possunt: ita essentia DEI respectu earum dicitur potens eas producere, & causa in actu primo. Videamus jam, quid hæc causa in actu primo importet & res erit manifesta, quod scilicet Creaturæ posibles in essentia DEI non videantur: importat autem hæc causa in actu primo (1.) ipsam essentiam DEI. (2.) relationem

E 4

nem

nem ad rem possibilem, & hæc relatio requirit tum fundamentum, quod non est distinctum quid ab essentia DEI, tum terminum, qui est extra relationis subiectum, & est res possibilis. Jam cum DEUS cognoscit essentiam, ut est causa in actu primo, aliud nihil cognoscit, quàm simplicem illam & perfectissimam naturam, & quæ cum illa sunt idem, & in essentia cognoscit relationem sive potius fundamentum, propter quod referri potest ad Creaturas posibles extra DEUM, hæ enim cum sint terminus in relatione inclusus, extra DEUM sunt: quâ ratione igitur in DEO cognosci possunt? Unde licet à parte rei sit una simplicissima cognitio, quâ DEUS essentiam suam & res posibles omniaque objecta omniscientiæ suæ cognoscit, inde tamen non sequitur, DEUM res posibles cognoscere in sua essentiâ, quatenus est causa.

V. Neque alicujus momenti sunt, quæ pro confirmanda hæc sententiâ adfert Svarez, quod enim primò ait: hunc cognoscendi modum non involvere  
repu-

repugnantiam, nec ostendi posse impossibile quid: id si aliquid probat, similiter probabo, DEUM hodiè novum creare cœlum, cùm hoc non involvat repugnantiam, nec ostendi possit impossibile, quòd ex eò sequatur.

VI. Modum verò hunc cognoscendi res possibilis, esse perfectissimum, si negetur, non habet svarez, unde assertionem suam solidè stabiliat. Quod enim dicit, eam cognitionem esse perfectissimam, quæ fit per nobilius medium, dubitatione non vacat. Ponamus per causam æquivocam v. g. statuarium, qui nobilior est effectu suò, deduci aliquem in cognitionem effectus, e. g. statuæ, alium verò effectum in se sine cognitione causæ considerare, quis horum nobiliorem habebit cognitionem? non sanè is, qui per medium nobilius nempè causam tantùm consideravit effectum: verùm alter potiùs, qui penitus paulò ipsum effectum sine causa videt. Quod si quis regerat, Svarezium intelligere cognitionem non tantùm causæ, sed etiam rei in se,

E s

quæ

quæ per causam est cognita, quæ cognitio omnino est nobilior altera, in qua saltem res, non verò causa spectatur. Respondetur: Hoc nihil facere ad rem: Cognitio enim rei ipsius per causam non est perfectior ob nobilius medium, sed si perfectior est dicenda, erit talis, quia præter hoc, quod rem ipsam attingit, se ad causam rei quoque extendit. Suarez sibi ipsi objicit: melius esse, rem cognoscere in se ipso directè sine medio, quam per medium; Respondet, cognitionem per medium non tollere cognitionem directam rei in se, Sed huic addere cognitionem per causam. Verùm si concedit Suarez, DEUM directè cognoscere possibilea prout in se sunt, quam ob causam dicit DEUM cognoscere possibilea in sua essentia tanquam in causa? Si enim res prout in se est, distinctè cognoscitur, quid opus est aliâ cognitione nempe causæ? Dicit Suarez, ut perfectior fiat cognitio. Resp. Petit id, quod est in principio. Nondum enim probavit, rem perfectius cognosci, quando eius

causa



causa tanquam perfectius quid cognoscitur. Deinde si vel maximè concedatur, DEUM cognoscere se tanquam causam in actu primo eorum, quæ sunt possibilìa, & progredi etiam ad ipsa possibilìa, non tamen sequitur I. DEUM in se, & sua essentiã tanquam causa cognoscere possibilìa, sed nostro modò concipiendi, (stante hãc sententiã) primò cognosceret essentiã tanquam causam, postea possibilìa: Deinde hic modus cognoscendi nec rerum naturæ nec etiam DEO videtur satis esse conveniens. Nam sicut possibile prius in se est possibile, quàm referatur ad potentiam DEI: ita prius in se est cognoscibile: magis igitur probabile est, DEUM prius quoad nostrum concipiendi modum cognoscere possibile, prout in se est, quod in se scilicet non involvat repugnantiam, & postea, quòd (per consequens) lateat in divina potentia, ab eaque possit produci.

VII. Quod porrò ait Svarez, hoc, (ut scilicet possibilìa in essentiã divina tanquam in causa cognoscantur) requirit ad

ri ad causæ comprehensionem: petit id, quod est in principio, quod enim possibile in essentia propriè loquendo, non cognoscantur, ostensum fuit. Ponamus autem sententiam illam esse admittendam, quod scilicet ad causæ comprehensionem requiratur, ut non tantum entitas causæ, sed etiam causata eius vel quæ ab ea provenire possunt, cognoscantur, ita ut nihil horum cognoscentem, (quod vult vox comprehensionis) lateat, duo probè à se invicem sunt discernenda, aliud enim est, per comprehensionem causæ, non tantum entitatem causæ, sed etiam ea, quæ à causa provenire possunt, cognoscere: aliud hæc cognoscere in causa: licet concedatur prius, non tamen admittendum est posterius, cum, quæ à causa manare possunt, in se cognosci possint, ut ad eorum cognitionem nihil quicquam faciat cognitio causæ. In ultimo argumento nulla est consequentia: Ex eo enim quod quædam inter se comparantur, non sequitur, unum cognosci in altero, quod vel cæcus videt.

IIX.

IIIX. Verissima sententia videtur esse, DEUM cognoscere possibilis in se. (Quod si quis dicere velit, essentiam DEI, dum cognoscit possibilis, esse speciem, vel potius à nobis concipi per modum speciei intelligibilis, id suo loco relinquimus.) Habemus hinc consentientem *Becanum Theol Scholast. p. 1. tr. 1. c. 10. q. 4.* ubi docet, DEUM cognoscere creaturas possibilis secundum esse proprium & particulare quod in seipsis habere possunt extra DEUM: & conclus. 1. DEUS, inquit, per naturalem scientiam cognoscit omnes creaturas possibilis immediatè in seipsis: quæ quidem assertio probari potest ex eò, quia sicut res extra essentiam DEI in se sunt possibilis: ita extra eandem in se sunt cognoscibilis, quid igitur obstat, quo minus DEUS extra suam essentiam eas in seipsis immediatè cognoscat? Hicce addit *Becanus*, quod, si DEUS creaturas possibilis cognoscit tantum in seipso quoad esse eminentis, quod in DEO tanquam causâ habere dicuntur, propriè creaturas non cognoscat, sed suam essentiam, ratio

ratio

ratio est, quia illud esse eminens (ut *Becanus* vocat) nihil aliud est à parte rei quàm ipsa DEI essentia. Nec est, quod quis dicat, creaturas posibles, nullum esse actuale habere extra DEUM, ex quò sequi videtur, eas extra DEUM spectatas non posse in DEO efficere cognitionem, & consequenter non cognosci à Deo. Nam 1. quòd ex eò, quod res posibles extra Deum non habent esse actuale, deducitur, eas in Deo non posse efficere cognitionem, id omne (ut de consequentiâ nihil dicam) concedi potest. Ex eò autem, quod res posibles in Deo non efficiunt cognitionem, inferri non potest, eas planè non cognosci à Deo, cum intellectus ut *l. r.* *Becanus* loquitur, ob infinitam perfectionem non requirat ad cognitionem concursum extrinsecæ causæ: neque 2. ex eò, quod res posibles actu non sunt, sequitur, à Deo easdem non cognosci, cum existentia seu esse actuale ad objectum cognoscibile non requiratur, quod, nisi clarum esset, exemplo præteritorum & futurorum ostendi posset.

CAP.

*De objecto inadæquato Scientiæ  
liberæ, nempe futuro, quid & quotu-  
plex sit.*

I.

SEQUITUR Scientia Visionis, quæ & li-  
bera vocatur. Hujus objectum §. 50.  
diximus esse non tantum præsentia &  
præterita; sed imprimis etiam futura,  
quæ re ipsa existent aliqua temporis dif-  
ferentia, seu absolutè futura. DEUM  
præsentia & præterita certò cognosce-  
re, nullum est dubium, cum horum co-  
gnitione creaturæ quidem denegetur.  
Futurorum autem præscientia & co-  
gnitio, an & quomodo DEO competat,  
obscurum est.

II. Ut autem hac in re tutiùs paulò  
& accuratiùs possimus progredi, ope-  
ræ pretium esse videtur, 1. si disquiramus,  
quænam sit natura futuri seu, un-  
de aliquid propriè dicatur futurum.  
2. Quotuplex sit futurum, ex quibus,  
quæ ad hanc scientiam spectant, faciliùs  
poterunt intelligi.

III. Primò igitur sunt, qui rationem  
& denominationem futuri desumen-  
dam

dam esse dicunt à voluntate DEI, volente rem esse, antequam fit. Juxta hanc sententiam futurum aliquid erit, quia DEUS illud ipsum, quod nondum est, vult esse v. g. ortus Solis erit futurus, quia DEUS ita vult. Verùm cur hanc explicationem non admittamus, rationes habemus non contemnendas. Nam 1. aliud esse videtur esse volitum, liceat sic loqui cum SVAREZIO, aliud esse futurum, benè notat *SVAREZ. de Sc. F. Cond.* cum formaliter esse volitum sit prius quàm futuro. Sic, enim vel maxime voluntas attendenda est circa rationem futuri, denominatio tamen à voluntate proveniens est prius quid futuro: tali enim in casu res prius ut volita, postea, ut futura concipitur. Deinde ponamus in natura & ratione formali futuri assignanda aliquam habendam esse rationem voluntatis divinæ, ea tamen naturam futuri non exhaurit, neque hoc, quod voluntas DEI aliquid vult, sufficit ad hoc, ut aliquid sit futurum. Sicut enim, quod res præsens est, non habet à sola voluntate DEI (loquor ex hypo-

hypo

libera, nempe futuro, quid & quoruplex sit. 81

hypothesi) sed requiritur etiam causa  
secunda: ita per hoc solum, quod DEI  
voluntas aliquid vult, res nondum di-  
cetur futura, sed ratio quoque haben-  
da erit causæ secundæ: sæpissimè enim  
feri solet, ut DEUS velit actionem ali-  
quam bonam, à voluntate creata elici-  
endam, quæ tamen ideò futura non est.  
A voluntate igitur divinâ minus rectè  
peti videtur ratio futuri. 3. rationem  
futuri non posse desumi à voluntate vel  
decreto voluntatis divinæ, clarè osten-  
di potest ex actibus voluntatis creatæ  
liberis. Alia enim voluntas divina  
hic revera intelligi non potest, quam  
voluntas concurrenti cum voluntate  
creatâ & libera: agimus enim h. l. im-  
primis de futuris Contingentibus in-  
trinsecè talibus, quæ ordinem dicunt  
ad voluntatem creatam, cum quâ DEUS  
vult concurrere: hæc autem voluntas  
DEI voluntatem creatam relinquit li-  
beram & indifferentem ad agendum &  
non agendum, ut etiam libera sit stante  
tali voluntate & decreto: at verò quam-  
diu voluntas præcisè spectatur sub ra-  
F tione

tione indifferentia, seu quatenus ad agendum & non agendum adhuc indifferens est, nondum concipimus actum futurum, ut ut adsit voluntas & decretum DEI. Ergo voluntas & decretum DEI non facit, ut aliquid sit futurum. Nec est, quod quis dicat, futurum aliquid esse per præcedens & voluntatem ad alterum oppositorum determinans decretum, tale enim decretum dari non posse, infra patebit, cum tollat hominis libertatem.

IV. Alii aliam laudant sententiam, quod scil. futurum aliud nihil sit, quam id quod habet esse in causa aliqua determinata, & nondum habet nec habuit illud in se. Verum licet hæc sententia ad veritatem propius videatur accedere, de ea tamen adhuc dubitatur: cæ enim stante, futurum cognoscere nihil aliud erit, quam illud cognoscere in causa, vel causam ejus, ut est determinata ad illud producendum, cognoscere, quod admittendum non esse putamus. Huc accedit, quòd aliquid habere esse suum in causa determinatâ sit prius



*libere, nempe futuro, quid & quotuplex sit. 83*

prius quid saltem quoad nostrum concipiendi modum futuro, quod ne non satis intelligatur, exemplo declarabimus, quamvis nolimus illud in omnibus applicare. Sicut v. g. album dicitur simile respectu alterius albi, ut tamen albedo, si non re, saltem quoad nostrum concipiendi modum prior sit similitudine & sit relationis illius fundamentum: ita rem aliquam habere esse suum in causa determinata nostro concipiendi modo est prius quid futuro, & est quasi fundamentum, propter quod aliquid est futurum.

V. *Svarez* docet futurum consistere formaliter in transitu quodam rei ab esse, quod habet in causâ ad esse quod in seipsa aliquando habitura est: seu quod sit tendentia quædam, ut idem loquitur, ab esse in potentia ad esse actu. Dicimus nos cum *Excell. Stevogtio* p. m. ex *P. Hart. de Mendoza* D. 9. de an. S. 6. subs. 1. §. 36. quod futurum formaliter nihil aliud sit, quam ipsa existentia rei in instanti sequenti, connotando carentiam ejus in instanti

F 2

stanti

84 Cap. II. De Objecto inadéquato Scientiæ  
stanti præfenti. D. 3. de indiff. Vol. 5. 16.  
quamvis fententia in re ipfa diverfa  
non fit à fententia Svarezii. juxta B.  
Slevogt: igitur cognofcere futurum eft,  
cognofcere rem, quæ nondum exiftit  
in præfenti, exiftet tamen in instanti fe-  
quenti. juxta Svarez autem eft rem co-  
gnofcere prout tranfit ab efle, quod ha-  
bet in caufa, ad efle, quod habitura ali-  
quando eft in feipfa: vel cognofcere  
quatenus ab efle in potentiâ tendit ad  
efle actu.

VI. Sequitur alterum, quod fupra-  
promifimus, quotuplex fit futurum.  
Solet autem hoc diftingui in neceffa-  
rium & Contingens. Neceffarium di-  
citur, quod neceffariam connexionem  
habet cum fuâ causâ, ut, dum fit, neceffa-  
riò fiat. Contingens, quod talem  
connexionem cum fua caufa non ha-  
bet, fed ita eft futurum, ut poffit etiam  
non efle futurum, & fi aliquando fit, ita  
fit, ut poffit etiam non fieri.

VII. Dubium hîc fuboritur, an den-  
tur futura neceffaria: cum enim futura  
omnia refpiciant DEUM, ut caufam,  
à quâ

à qua possunt produci & non produci, omnia futura videntur esse contingentia. Circa hoc dubium explicandum est, quò sensu & respectu aliquid dicatur necessarium vel contingens, ex quibus rectiùs poterit intelligi hujus scientiæ objectum. Consideremus igitur primò locò contingens, ex quo de necessario ferri poterit iudicium. Dicitur autem contingens dupliciter. 1. quod casu & præter agentis intentionem fit: quæ acceptio nimis rigorosa est & hic non attenditur. Aliò modò sumitur contingens, ut est medium inter necessarium & impossibile, quomodo de contingēte loqui videtur *Aristoteles l. 1. 2<sup>æ</sup> Equ. c. 9.* & est id, quod potest esse & non esse. Et h. m. hic sumitur. Verùm hac ratione difficultas augeri videtur, cùm enim omnis creatura à Deo dependeat, is verò eam possit producere, & non producere, creatura potest produci & non produci, & per consequens esse & non esse. Huic igitur difficultati ut satisfiat, notandum est, effectum aliquem comparari posse

dupliciter. 1. ad causam primam, quæ ad illum vel sola l. cum causa secunda concurrat. 2. ad causam secundam. Priori modo si spectatur effectus, non nisi contingens est vocandus, & sic rectè probat argumentum, quod si effectus etiam futurus referatur ad causam primam, omnis sit contingens, necessarius nullus. Verùm ita non consideratur effectus futurus, quando dicitur, quod quidam sit necessarius, quidam contingens, sed spectatur cum ordine ad causam secundam; & sicut causarum secundarum aliæ sunt naturales & necessariò operantes, quæ sc. positis omnibus ad agendum requisitis & iisdem manentibus non possunt non operari: ita effectus hisce causis respondentes sunt necessarii, & sub ratione futuritionis spectati, nomine futurorum necessariorum veniunt, e. g. ignis est causa necessaria: quod si jam omnia ad comburendum vel calefaciendum adsunt requisita, ignis necessariò comburit vel calefacit, hæc calefactio vel ipsum calidum pertinet ad futura necessaria. De  
inde

inde sicut causarum secundarum aliæ sunt liberæ, quæ scil. positis omnibus ad agendum requisitis & iisdem manentibus possunt agere & non agere, agere hoc & illud: ita effectus hisce causis respondentes dicuntur liberi vel contingentes, & si ut futuri spectentur, futurorum contingentium appellatione gaudent.

IIIX. Sed neque hac ratione omnis difficultas videtur esse sublata: Licet enim causa naturalis positis omnibus requisitis, non amplius sit indifferens, sed necessario agat, fieri tamen potest, ut vel ob defectum requisiti, vel aliunde impedita non agat, & effectum non producat: effectus igitur non producit, & per consequens potest produci & non produci esse & non esse, quod quid aliud est, quàm contingens. Sciendum igitur quod causa naturalis duobus modis possit spectari. i. quoad virtutem intrinsecam, & sic, quia à natura ad unum est determinata, ita ad agendum est potens, ut extrinseca sua virtute non possit non agere: effectus

si sub hac ratione refertur ad causam naturalem, dicitur necessarius, ei que opponitur ille, qui respondet causæ, quæ ex suâ natura non est determinata ad unum. 2. Causa naturalis spectari potest, prout se habet cum requisitis, concausis, aliisque circumstantiis ad agendum; h. m. fieri potest, ut causa naturalis vel ob defectum alicujus requisiti, vel aliunde impediatur, ut effectum non producat, qui effectus consequenter non producitur, potest igitur produci, quatenus causa quoad internam spectatur virtutem; potest non produci, quatenus causa d. m. impeditur, potest igitur esse & non esse, adeoque hâc ratione ad causam relatus potest dici contingens. Unde à Philosophis effectus contingens duplex statuitur 1. Intrinsicè 2. extrinsicè. Ille est, qui manat à causa, quæ ex intrinsicâ virtute potest agere & non agere. Hic, qui est à causa, quæ ex intrinsicâ ratione ad unum est determinata, sed impedita est ob defectum requisiti alicujus. Quod si tamen causa naturalis  
habe-

*libera, nempe futuro, quid & quatuorplex sit. 89*

habeat omnia requisita, quæ necessario concursu concurrunt ita, ut applicans materiam necessario applicet, impediens necessario impediatur: effectus, qui producitur, erit necessarius, nec si tota hæc causarum collectio attenditur, contingens vocari poterit. Quod igitur ad dubitationem attinet, conceditur, quod etiam effectus causæ naturalis possit dici contingens extrinsecè, quia propter defectum requisiti potest etiam non esse: est tamen & hic necessarius duplici nomine 1. quatenus respondet causæ, quæ ex intrinsecâ ratione ad unum est determinata, ut non possit non agere, ita enim effectus non potest non esse: 2. quatenus omnia ad talem effectum concurrunt concursu necessario, ut nulla interveniat causa libera, nam & h. m. non potest non produci.

IX. Tandem & hoc præmittendum est, quod futura contingentia sint in duplici differentia. 1. quædam sunt absoluta, quæ reipsâ aliquando existunt, nulla conditione additâ. Huc

F 5

refer.

referrî potest illud Salvatoris Johan. 16. v. 25. *Venit tempus, cum jam non per proverbialia loquar vobis, sed palam de Patre meo annunciabo vobis* It. Joh. 14. 16. *Rogabo Patrem, & alium consolatorem dabit vobis &c.* Hæc absolutè futura erant, neq; aliqua additur conditio. Alia autem sunt futura conditionata, quæ non existent nisi positâ & impleta conditione, hûc pertinet illud Christi Matth. c. XI, vers. 21. *Væ tibi Chorazin, væ tibi Bethsaidæ: quoniam si in urbe Tyri & Sydonis factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in sacco & in cinere pœnitentiam egissent & v. 23. Si in Sodomis editæ fuissent virtutes, quæ editæ sunt in te, mansissent usq; ad hodiernum diem.* Pœnitentia Tyriorum futura erat, sed non nisi sub conditione, si scil. signa & miracula facta fuissent, nempe ea, quæ facta erant in Chorazin; similiter Sodomæorum conservatio erat futura, sed sub conditione, quæ exprimitur his verbis: *εἰ ἐν Σοδομοῖς ἐγένοντο αἱ δυνάμεις:*



*liberæ, nempe futuro, quid & quotuplex sit? 91*

X. Hisce præmissis, dicimus objectum scientiæ DEI liberæ seu Visionis esse non tantum præsentia, & præterita: sed etiam futura absoluta tum necessaria, tum contingentia:

XI. De præsentibus, præteritis & futuris necessariis dubium esse non potest. Cum enim horum cognitio etiam creaturis competat, cur DEO deneganda sit, causa datur nulla. Ratio in oppositum potius dari potest, tum ex parte rerum tum ex parte ipsius DEI. Ex parte rerum quidem: Quæcunque enim in se sunt cognoscibilia, illa à DEO cognoscuntur. Atqui præsentia, præterita & futura necessaria sunt cognoscibilia. E. à DEO cognoscuntur. Minor certa est: Majorem confirmabit seq. ratio, quæ ab infinitate intellectus divini desumitur. Qui intellectus est infinitus, is præsentia, præterita & futura necessaria cognoscit. Atqui intellectus DEI. E. Maj. est certa, repugnat enim, intellectum aliquem esse infinitum, & tamen non omnia cognoscere. Minorem probarem, nisi luce suâ radiaret.

CAP.

*In quò tractatur questio, an futura contingentia cadant subscientiam DEI liberam?*

## I.

**L**icet autem argumenta adducta usurpari quoque possint de futuris contingentibus, imprimis verò illis, quæ à cusa libera dependent, peculiaris tamen agitur controversia, an & quomodo cognoscantur ea à DEO? Tria igitur imposterum circa scientiam hanc liberam sive visionis consideranda veniunt. 1. *an sub eam cadant contingentia futura, quod ostendendum erit contra Ciceronem & Photinianos* quibus non immeritò annumerari possunt Calviniani, qui futura contingentia cognosci non posse arbitrantur sine præcedente decretò, ut patet ex *G. Tuvisso l. 1. de Scientiâ F. C. cap. 2.* cuius fundamentum, considerabimus *infr. 2.* quomodo cognoscantur, an per præsentiam realem in æternitate, ut  
qui

quidam Thomistarum arbitrantur. 3. an hæc scientia sit causa rerum, vel an illis afferat necessitatem, ut necessario fiant, quâ de re controversia nobis erit cum calvinianis. Primo igitur Cicero denegavit DEO infallibilem futurorum contingentium scientiam, *lib. 2. de divinatione*, ubi *Nihil est*, inquit, *tam contrarium rationi & constantie, quam fortuna, ut mihi ne in DEUM quidem cadere videatur, ut sciat, quid casu, quid fortuito futurum sit. Si enim scit DEUS, certè illud eveniet, sin certè eveniet, nulla fortuna est: est autem fortuna rerum: rerum igitur futurarum nulla presensio.* Ratio Ciceronis est hæc: Si DEUS scit F. C. sequitur, quod certo fit futurum. Posterius falsum. E. & prius. Posterius falsum esse prob. 1. quia si F. C. certò evenit, non est conting. sed necessarium. 2. Si fut. conting. certò est futurum sive determinatam habet veritatem, propositio de eo formata etiam habebit determinatam veritatem. Consequens est falsum. E. & antecedens. Consequentis falsitas non tantum

tum

tum autoritate Aristot. & rationibus non contemnendis potest probari & cognosci. Verba Aristotelis apponemus: *Lib. de interpret. cap. 9.* ὅτι μὲν ἐν τῶν ὄντων καὶ γνομῶν ἀνάγκη τὴν κατὰ φασιν ἢ τὴν ἀπὸ φασιν ἀληθῆ ἢ ψευδῆ εἶναι, καὶ ὅτι μὲν τῶν καθόλου ὡς καθόλου αἰετὴν μὲν ἀληθῆ, τὴν δὲ ψευδῆ εἶναι καὶ ὅτι τῶν καθ' ἕκαστα, ὡς ἐρεῖ εἰρηται. ὅτι δὲ τῶν καθόλου μὴ καθόλου λεχθέντων οὐκ ἀνάγκη εἰρηται ἢ καὶ περὶ τούτων. ὅτι δὲ τῶν καθ' ἕκαστα καὶ μελλόντων ἔχ' ὁμοίως. εἰ γὰρ πᾶσα κατὰ φασιν ἢ ἀπὸ φασιν ἀληθῆς ἢ ψευδῆς. καὶ ἅπαν ἀνάγκη ὑπάρχειν, ἢ μὴ ὑπάρχειν. &c. vid. d. l. plura.

II. Circa hunc locum diversissimæ sunt sententiæ interpretum, quænam fuerit mens Aristotelis. Sunt, qui dicunt, Aristotelem negasse in propositionibus sing. de futuro conting. actu veritatem vel falsitatem esse, sed utramque paratam esse ad accipientem veritatem aut falsitatem. Ita quidam *Parisienses*, ut refert *Stephan. Burles. in Bonavent. I. dist. 38. a. 2. q. 1.* Alii existimant, Aristotel. mentem fuisse, in propositionibus sing. de futuro contingenti alteram par-

partem non esse determinatè veram, hoc est, ita veram, ut non possit esse falsa; nec alteram partem determinatè falsam h. e. ita falsam, ut non possit esse vera. Hisce igitur *τὸ determinatè* idem est ac necessarium. Alii hanc sententiam Aristoteli affingunt, quod docuerit in propositionibus singularibus de futuro conting. non esse alterā partem falsam, alteram veram determinatè, quæ à nobis signari sive cognosci possit. Verùm nugæ sunt, quas examinare operæ pretium non est, & fiet id alio tempore.

III. Communior est sententia, Aristotelem voluisse in contradictionibus de futuro contingente non esse alteram partem distinctè veram alteram distinctè falsam, sed quamlibet veram aut falsam. Stante hâc sententiâ, dicendum erit, futura contingentia non esse determinatè futura nec determinatam habere veritatem, & per consequens, ea non esse cognoscibilia.

IV. Rationes pro sententia Aristotelis

telis

96 *Cap. IX. In quo tractatur questio,*  
telis confirmandâ non defunt: 1. Si pro-  
positio de futuro contingenti determi-  
natè vera est, erit etiam necessariò vera,  
& res contingens futura necessariò  
eveniet. Consequens est falsum. E.  
antecedens. Consequentia probatur.  
Si enim vera est propositio de futuro  
contingente, aut in tempore cepit esse  
vera aut vera fuit ab æterno. Illud  
dici non potest, cùm non sit ratio, cur  
hodiè, heri, aut ante mille annos cepe-  
rit: asserendum ergo est hoc, quod ve-  
ra fuerit ab æterno. Si vera fuit ab æ-  
terno, est æternæ veritatis, & non pot-  
est non esse vera, seu necessariò est ve-  
ra, dicit ergò rem necessariò esse futu-  
râ, & quia vera est, res erit necessariò fu-  
tura. 2. Si propositio dicitur vera vel fal-  
sa ab eo, quod res est vel non est, sequi-  
tur propositionem singularem de futu-  
ro contingente non esse determinatè  
veram vel determinatè falsam. Prius  
est verissimū. E. posterius. Antecedens  
probatur ex *Arist. lib. cat. c. 5. §. 24.*  
Consequentia probatur, quia contin-  
gens est indifferens ad esse & non esse,  
pro-

& sic nullum esse habet E. ab eo quòd fut. conting. est, propositio de fut. conting. non potest dici vera determinatè, cùm futurum contingens non sit.

V. Hanc sententiam avidè arripiunt Photiniani, ut videre est apud F. Socinum *Praelect. Theol. c. 8. seqq. Valentinum Smalcium refut. Thes. D. Wolffg. Francii disp. XII. de causis peccatorum.* Negare autem videntur Photiniani hanc scientiam, ut eò facilius contra adversarios libertatem hominis adstruant. vid. Joh. Hoornbeck, *Socinianism. confut. Tom. 1. lib. 2. c. 3. sect. 1.* Cum enim (ut est apud ipsum Socinum l. c.) adversarii ita argumentantur: Deus infallibili prænotione omnia novit, antequam fiant, E. nihil fieri potest, quod antequam fiat, jam omninò certum non sit, & idcirco necessarium: Photiniani, ne consequens, quod ex antecedente fluere putant, concedere cogantur, negant antecedens. §. 1. *Smalcii* expressè ait. *Non de malis actionibus nominatim, sed de omnibus futuris contingentibus, quæ talia sunt, dicimus,*

G. 66

98 Cap. IX. In quo tractatur questio,  
ea ita esse comparata, ut sub nullam con-  
scientiam cadant. Sunt autem futura  
contingentia tam actiones bonæ, quam  
malæ hominum. §. 4. autem, ubi Fran-  
zius vul probare, quod DEUS prævi-  
deat etiam malas actiones hominum,  
antequam fiant: dicit Smalcus, Franz.  
hoc aggredi irritò conatu. Non enim  
(pergit) negatur Deum multa prævidisse  
etiam mala, longè antequàm fierent, quæ  
scil. certò futura erant. Sed an omnia  
futura contingentia DEUS ab eterno præ-  
viderit, hoc in questione est. Smalcus  
igitur hoc vult, ea, quæ certò futura  
sunt, & re ipsa aliquando certò in aliqua  
temporis differentia existent, præsciri  
à DEO; non autem omnia contingen-  
tia cadere sub DEI cognitionem. In  
§. præcedente: ubi Franzius extollit  
præscientiam DEI, eamque vocat ad-  
mirabilem, imperscrutabilem, inexcogi-  
tabilem, supracælestem, intra seipsam  
perfectissimam & totò genere, tota specie,  
totò cælò, totà terrâ alienam & infinities  
infinitiesq; distinctam à prævisione &  
præscientia humanâ. Smalcus dicit, se  
non nescire, DEI attributa omnia esse  
in-



an futura contingencia cadant sub & r. 99  
infinities distincta ab humanis rebus  
omnibus: sed tamen extra S. literas de  
DEO predicare imperscrutabilia & in-  
excogitabilia, quid aliud est, quam suum  
judicium ostentare?

VI. Ex hac responsione Smalcii  
pro sententia Photinianorum nascitur  
primum argumentum: *Que sententia*  
*de DEO extra S. literas affirmat & præ-*  
*dicat ea, que sunt imperscrutabilia & in-*  
*excogitabilia, illi locus non est conceden-*  
*du.* Atqui sententia, quâ tribuitur DEO  
præscientia omnium futurorum contin-  
gentium, de DEO extra S. literas affir-  
mat & prædicat ea, que sunt imperscru-  
tabilia & inexcogitabilia. E. huic sen-  
tentia locus nō est cōcedendus. Minor  
potest probari ex seqq. §§. ubi Smalcio  
respondet ad loca Scripturæ, quib⁹ pro-  
bat Franzius, Deo in Scriptura S. tribui  
futurorū contingentium præscientiam.  
Cum igitur i. dicit Franzius, DEUM præ-  
vidisse Christi mortem & passionem,  
quæ est futurum conting. respondet  
Smalcius his verbis: *Hoc non tam ho-*  
*minum actio, quàm DEI opus censendus*  
*est, qui omnia, que Christo acciderunt,*

G 2 de

100 Cap. IX. In quô tractatur questio,  
decernere potuit divina sua sapientia.  
Cùm 2. Franzius adfert abnegationem  
Petri, quam Christus prædixit, respon-  
det Smalcus, *hanc fuisse pœnam à DEO  
Petro inflictam, quam evitare nullô mo-  
dô potuit, eam igitur Deus utique præsci-  
vit.* 3. Franzius producit peccata pri-  
morum parentum, quæ prævisa esse  
ait à DEO: respondet Smalcus, *sobrio  
sensu id dici posse, quatenus Deus præsci-  
vit, fieri posse, ut Adam peccaret &c.* 4.  
Franzius adducit exemplum oppressio-  
nis & servitutis Israelitarum in Ægy-  
pto; ad quod respondet Smalcus, præ-  
dici potuisse istam oppressionem, quia  
DEUS sic decreverat. 5. Franzius ad-  
fert futuram fornicationem populi  
Israelitici post Deos alienos, & dereli-  
ctionem Dei: respondet Smalcus, *De-  
um hoc prædixisse, quod verisimile esset:*  
6. Franzius producit ex Psal. 139. verba  
Davidis: *Intellexisti cogitationes meas  
de longe &c.* Ad h. l. dicit Smalcus:  
verba hæc non loqui de futuris con-  
tingentibus, sed de eo, quod suo modo  
est, nempe coram Deo, qualia sunt homi-

num

*rum cogitationes & via. Has Deum cognoscere de longè, hoc est, antequam homo eas ad effectum perducatur, quantumvis eas celet, ex animo, inquit, fatemur.*

7. Tandem Franzius exemplum de falsis Prophetis & Antichristo affert, ad quod responsum esse ait Smalcus, Deum id decrevisse, ut fieret, solere enim Deum homines hujusmodi rebus tentare.

VII. Smalcus pro sententiâ suâ alia etiam affert argumenta, quorum primum huc redit: Quicquid se ipsum destruit, admittendum non est: Scientia futurorum Contingentium &c. E. 2. Quicquid S. literis repugnat, vel magnam ipsis vim affert, adserendum non est. Scientia Dei circa futura Conting. E. 3. Quæ nullo modo sunt, sciri non possunt. Futura Conting. nullo modo sunt, E. sciri non possunt. 4. Quicquid contingens est, scibile non est. Ratio quia scibile debet esse necessarium. Fut. Cont. sunt contingentia. E. scibilia non sunt. Non tantum autem Smalcus sententiæ nostræ bellum intenta-

vit, sed & eandem cladem experta est à *Fausto Socino in prelect. Theol. c. 8. & 11.* qui non rationibus tantum eam impugnat, sed & eò nomine eam suspectam reddere conatur, quod adverte- tur sacris literis. Rationum primam, quæ c. 8. proponitur, huc redit: Quæcun- que non sunt certò futura, ea non pos- sunt à DEO cognosci: Atqui futura contingentia non sunt certò futura, idcirco non sunt futura. E. à Deo non possunt cognosci. Minor probari pot- est ex cap. 11. Si certò futura sunt futu- ra contingentia, causa eorum aut erit voluntas hominis aut Deus. Non pri- us, cum ea tunc non sit, nec posterius, cum Deus scelerum Autor reddatur. Secunda ratio, quæ à Socino urgetur, est talis: Quæ nullo modo sunt, ea ex ipsius rei natura nullò modo sciri pos- sunt. Atqui futura Contingentia nullò modo sunt. E. ex ipsius rei naturâ sci- ri non possunt. 3. Quicquid tollit ho- minis libertatem, Deo non est tribuen- dum. Atqui præscientia Dei futuro- rum contingentium tollit hominis li- ber-

bertatem E. Deo non est tribuenda. 4. Quicquid Deo adimit aliquam perfectionem, ei tribuendum non est. Præscientia fut. conting. &c. E. Minor probatur seqq. *Certè prænotio ista tantum abest, ut aliquid Deo tribuat, ut potius illi nonnihil adimat, i. e. curam perpetuam, quam rerum humanarum gerit, aliquâ saltim ex parte tollat atque obscurer, & otiosum quodam modò eum reddat: Nam quid attinet Deum, quæ ab hominibus fiunt, perpetuò, cõttemplari atq; animadvertere, si ea jam antea novit, quàm fierent? quid item ea pro arbitratu suo moderari, si jam antea certissima erant, nec nisi uno modo esse poterant &c. Quod sententia nostra S. adversetur literis, probare conatur cap. 11. Quicquid est tale, ut eò positò plurimi loci Scripturæ S. nullo pacto intelligi aut explicari queant, id admittendum non est. Atqui præscientia futurorum contingentium est tale quid, quò positò plurimi loci Scripturæ S. nullò modò possunt intelligi aut explicari. E. non est admittenda. Minorem probat in sequentibus verbis: Quis enim*

104 Cap. XI. In quo tractatur questio,  
unquam id intelliget aut explicabit, quod  
scriptum est Genes. 6. 6. 7. Deum propter  
hominum iniquitatem, quæ in terra a-  
bundaverat, contristatum fuisse? Quis  
illud, quod ipse Dominus ait eod. lib. c. 22.  
12. se tùm demum verè cognovisse, Abra-  
hamum Dei timore esse præditum, cùm  
filium suum charissimum sibi immolare  
non recusavit? Quis item illud Esaie c. 5.  
vers. 4. Quid fieri potuit amplius vineæ  
meæ, & non feci ei, quod expectavi, ut fa-  
ceret uvas, & fecit labruscas. Et infra  
vers. 7. Et expectavit (Jehovah exerci-  
tuum) judicium, & ecce plaga, justitiam  
& ecce clamor. Quis, inquam, hos locos  
& alios complures satis intelligere & ex-  
plicare poterit, si Deum infallibili scien-  
tiâ omnia novisse statuamus antequam  
fiant?

VIII. 2. ex Socino desumi potest  
hoc argumentum: Quicquid est tale,  
ut eò positò, multa, quæ Deo in S. literis  
tribuuntur, vel falsò ipsi tribuantur, vel  
imprudentiæ ipsum coarguant, illud Deo  
non est tribuendum. Talis est præscien-  
tia futurorum contingentium. E. Deo  
non

an futura contingentia cadant sub &c. 105

non est tribuenda. Minor probatur  
seqq. Quomodo (exempli causã) id vel ve-  
rum esse poterit, vel Deo dignum, quod  
scriptum est, ipsum dixisse. Num. 14. v. 12.  
22. 23. 28. 29. 30. &c. se videlicet iurasse,  
quod introducturus esset in Chananeorum  
terram populum illum, & tamen propter  
ipsorum peccatum atque incredulitatem  
se amplius id non facturum? Quis enim  
ex ipsis hominibus ita amens est, ut ex  
animo juret, se aliquid facturum, quod  
se facturum minimè esse jam probè no-  
verit, seu causas, cur id nullo modo factu-  
rus sit, jam exploratissimas habeat? aut  
quid Deo indignius, quam se aliquid fa-  
cturum jurare, non animo, sed verbis tan-  
tùm? Breviter, necesse est pluribus in lo-  
cis S. literas vel corrumpere ac deprava-  
re, sive mirabilibus quibusdam interpre-  
tationibus quasi tenebris involvere, vel  
ad Dei ignominiam convertere, si quis  
Deum omnia, quæ ab hominibus fiunt, an-  
tequam fierent, certò cognita atque per-  
specta habuisse velit. Hæc Socinus.

IX. Crellius libr. de Deo & attribu-  
tis cap. 24. hisce nostram sententiam

G 5 im.

106 Cap. IX. In quo tractatur questio,  
impugnare conatur: Si omnia futura,  
qualiacunque sint, Deo ab omni æterni-  
tate cognita fuisse contendas, necesse est  
statuere, omnia necessario fieri ac futura  
esse. Unde sequitur nullam esse aut fuisse  
unquam humanæ voluntatis libertatem,  
ac porrò, nec religionem. Quin & ipsi  
Deo arbitrium s. voluntatis libertas ne-  
ganda erit, quod nihil est aliud, quàm  
Deum negare Deum esse. In hisce ver-  
bis Crellii duo potissimum argumenta  
continentur contra præscientiam fu-  
turatorum contingentium. Primum est  
tale: Si omnia futura DEO ab omni æ-  
ternitate fuerunt cognita, sequitur, o-  
mnia necessario fieri aut futura esse.  
Consequens est absurdum. E. & ante-  
cedens. Consequentis absurditas pro-  
batur, quia, si omnia necessario fiunt  
aut futura sunt, sequitur, nullam esse  
aut fuisse unquam humanæ voluntatis  
libertatem, ac porrò nec religionē. Al-  
terum Crellii argumentum tale est: Si  
Deus omnia futura determinatè præ-  
scit, sequitur ipsi Deo arbitrium seu  
voluntatis libertatem negandam esse.  
Con-



Consequens absurdum est, E. & antecedens. Consequens absurdum esse, probat, quia ex eo sequitur manifesta, contradictio, DEUM scil. non esse DEUM.

X. Porro pro sententiâ suâ confirmandâ Crellius adducit quoque Scripturæ dicta, 1. Gen. 18. 21. *descendam nunc & videbo, an secundum clamorem istius, qui pervenit ad me, omninò faciant &c.* 2. Exod. 16. 4. *Egredietur populus, & collecturi sunt demensum cujusque diei, ut tentem eum.* 3. Jud. c. 2. 21. *Non pergam expellere quenquam à facie eorum, ex gentibus, quas reliquit Josua, ad probandum per eas Israëlem.* Ita Crell.

XI. Hæc, quæ hætenus satis prolixè ex Cicerone, Smalcio, Socino, & Crellio contra præscientiam DEI attulimus, si sublata fuerint, vera sententia suâ radiabit luce. Quod igitur ad Ciceronē attinet, ratio ejus hæc est: Si DEUS scit Futura Contingentia, sequitur, quòd certò sint futura, quod Ciceroni absurdum, cùm exinde sequi putet,

tet, eadem quoque necessario evenire,  
 & sic non esse contingentia. Nos ne-  
 gamus, consequens esse absurdum, fu-  
 tura sc. contingentia esse certo futura.  
 Consequentiam verò, quæ porrò exin-  
 de necitur, negamus, quod nempe si  
 conting. certo sunt futura, etiam ne-  
 cessario sint futura: Certo igitur per-  
 suasum nobis habemus, contingentiam  
 futur. Conting. per certitudinem eo-  
 rundem non tolli. Ut autem hoc re-  
 ctius intelligatur, notandum est, quòd  
 futurum Contingens ordinem & re-  
 spectum dicat ad causam, idque negari  
 nequit à Photinianis. Sicut enim res  
 contingens quando actu jam produci-  
 tur, respicit causam, à qua producitur:  
 ita contingens futurum, quatenus ad-  
 huc producendum est, respicit eandem  
 causam, ut productura est futurum.  
 Jam ad oculos patebit, hæc duo non  
 repugnare, aliquid nempe esse contin-  
 gens, & simul etiam certo futurum.  
 Causa igitur, quam respicit futurum  
 contingens, bifariam potest spectari.  
 i. quatenus est indifferens ad utrumq;  
 op.

oppositorum, ita ut æquè hoc atque aliud possit producere: si ad causam sub hac ratione spectatam refertur futurum Contingens, non est certò futurum, hoc utraque manu largimur: sicut enim causa sub hac ratione indifferens est ad opposita, ut possit rem producere & non producere: ita res est indifferens ad hoc, ut possit produci & non produci, esse & non esse, quod nihil aliud est, quàm contingens. 2. causa, quæ ita ad opposita est indifferens, spectari potest sub alia ratione quæ ad alterum oppositorum se aliquando determinatura, & effectum aliquem productura est: (quod autem se aliquando sit determinatura, patet, quia si se nunquã determinaret, nunquam effectum produceret) si futur. contingens sub hac ratione ad causam refertur, quid obstat, quo minus determinatè futurum dici queat. Si enim causa ad aliquem effectum se determinatura & determinatè effectum productura est, omninò sequitur, effectum illum determinatè esse producendum, & consequenter de-

de-

determinatè futurum. Sed quomodo ex his sequatur, eundem effectum necessarium quoque esse, non video. Ita enim causa ad talem effectum producendum se determinatura est, ut ad eum se etiam possit non determinare, & consequenter effectus determinatè est futurus, ita tamen, ut posset etiam esse non futurus.

XII. Quod attinet alteram probationem, quæ talis erat: si futurum contingens habet esse determinatum, & est certò futurum, sequitur, quod propositio de eo formata habeat determinatam veritatem. Consequens falsum. E. antecedens. Negamus nos, consequens falsum esse. Certum esse putamus, propositiones de Futur. Conting. habere determinatam veritatem. Neque hac in parte quicquam curamus autoritatem Aristotelis *l. de Æt. c. 9.* plerique enim consentiunt, Aristotelem d. l. errasse, & propositionibus de futuris Contingentibus determinatam veritatem denegasse, imprimis, ut contingentiam rerum, hominisque libertatem

tatem

III *an futura contingentia cadant sub Ec.*  
tatem adstrueret & defenderet. Videatur tamen Did. Ruiz *de Scient. Dei disp. XXIII. sect. V.* Ad rationes §. 8. pro Aristotelis sententia adductas respondere facilimum est. In prima igitur negamus consequentiam, & potest ratio negationis aliquo modo desumi ex superioribus, ex determinatione enim necessitatem inferre, nimis absurdum est: quod in probatione dicitur, talem propositionem aut in tempore accepisse veritatem determinatam, aut eam habere ab æterno. Resp. affirmando posterius, quod eam ab æterno habeat. Quod verò exinde infertur, talem propositionem esse æternæ veritatis, & per consequens necessariò veram, ad hoc Resp. *Propositionem æternæ veritatis* ambiguè dici, i. enim propositio æternæ veritatis dicitur illa, in qua prædicatum cum subiecto perpetuum habet nexum, ita, ut si tale subiectum est, tale prædicatum non possit non eidem convenire, qualis est ista: *Omne quantum est extensum, positò enim quantum, necessariò ipsi hoc prædicatum,*  
nem.

nempe extensum competit. Et hæc propositio æternæ veritatis est necessaria, ita autem h. l. sumi non potest. 2. igitur propositio æternæ veritatis dicitur, quæ si ab æterno prolata fuisset, fuisset vera, licet inter prædicatum & subiectum non sit necessarius nexus, ut posito subiecto, necessariò ipsi prædicatum conveniat: Illustrabimus rem exemplo: sicut, si Petrus jam disputat, propositio vera est determinatè, cum dico: Petrus disputat: ita si ab æterno formata fuisset hæc propositio: Petrus disputabit (aliquando scil. & in illo instanti, quò jam disputat) vera fuisset propositio, habuisset enim conformitatem cum re: & quidem ab æterno fuisset vera, & consequenter æternæ veritatis posteriori modo: ex hoc autem quod propositio hoc sensu est æternæ veritatis, non sequitur, eam necessariam esse. Nam sicut in hæc de præsentibus, Petrus disputat, prædicatum ita convenit subiecto, ut ei quoque possit non competere: ita de altera, quæ est de futuro, Petrus disputabit, idem dicendum



subjectum significata, oratio, quæ hanc identitatis negationem significat, etiam dicitur vera. Idem esto iudicium de falsis. Hisce præmissis negamus consequentiam in 2. arg. & illud potius invertimus, h. m. si ab eo, quod res est, h. e. quod res per prædicatum significata est idem cum re per subjectum significata oratio, dicitur vera, dum scilicet hanc identitatem significat & rei est conformis, sequitur, propositionem de futuro conting. esse determinatè veram, ratio est, quia identitatem inter res per prædicatum & subjectum significatas repræsentat. Sumamus e. g. hanc: Petrus disputabit: sicut Petrus aliquando erit disputans ita hoc ipsum hæc propositio significat, & sic rei planè est conformis: erit igitur determinatè vera, nisi rē, cui definitio competit, definito fraudare velimus. Certum igitur & immotum manet, non tantum F. C. habere determinatū esse, sed etiam propositiones de iis formatas determinatam habere veritatē, ut ex hætenus dictis constat. Rationes igitur pro sententia

tentia



*an futura contingencia cadant sub Sc.* us  
tentia Ciceronis allatae tanti roboris  
non sunt, ut DEO futurorum contin-  
gentium praescientiam denegare que-  
ant.

XIV. Convertimus nos ad ea, quae  
Smalcus pro destruenda hac scientia  
adfert, cujus primaria assertio huc re-  
dit: *Omnia futura Contingentia, quae ta-*  
*lia sunt, ita sunt comparata, ut sub nulla*  
*scientiam cadant.* Concedi quidem po-  
test, futura Contingentia ut sunt indif-  
ferentia ad esse & non esse, non cogno-  
sci: illam tamen indifferentiam obsta-  
re, ut planè non possint cognosci Fu-  
tur. Conting. hoc est quod negamus.  
Mens igitur Smalcii huc redit: Futura  
Contingentia praesciri à Deo non pos-  
sunt ideò, quia sunt contingentia & in-  
differentia ad esse & non esse, ut ita de  
iis nihil certi cognosci aut definiri pos-  
sit: Obstare scil. putat Smalcus, Con-  
tingentiam, quo minus praesciantur fu-  
tura contingentia. Verùm si hæc ratio  
aliquid probat, & ego probabo, nulla  
planè contingentia cadere sub scienti-

H 2

am &

am & cognitionem divinam, quod tamen Smalcus admittere vix poterit. Consequentiam probo: si enim Contingentia obstat, quò minus aliquid cognoscatur, obstabit in quovis Contingenti ut nullum propter Contingentiam possit cognosci, obstabit igitur etiam in præsentibus, ut præsentia Contingentia cognosci non possint, aut assignanda erit ratio, quæ probet, obstare contingentiam in hoc potius, futuro scilicet, quò minus cognoscatur, quàm in *alio nempe præsenti*.

XV. Sed videamus, an ex ipsò Smalcio probare queamus futurorum Contingentium præscientiam DEO competere. Docet Smalcus l. c. illa à DEO præsciri, quæ *certè futura sunt*. Ex hisce argumentor h. m. Quæcunque certò sunt futura, à DEO possunt cognosci. Atqui omnia futura Contingentia certò sunt futura E. Omnia futura Cont: à DEO possunt cognosci. Major est ipsius Smalcii: Minorem probare nullius est difficultatis, modò consideretur  
natu.

natura & ratio formalis futuri, quæ aliud nihil est, quàm existentia rei in esse sequenti, connotando ejusdem carentiam in instanti præsentis: Si igitur res per existentiam in instanti præsentis certò est præsens, quod cur quis negare velit, non video; cur non per eandem existentiam in instanti sequenti res erit certò futura? aut danda est ratio diversitatis. Minorem igitur negare nemo potest, nisi is, qui naturam & rationem formalem futuri planè conatur evertere ac destruere, quod facere nemo potest, nisi is, qui vel præsens & futurum in eandem temporis differentiam conjicit, vel rei prout est futura & prout est præsens, diversas tribuit essentias, quod absurdum. Nec est, quod quis dicat, Contingentia, hòc ipsò quod sunt contingentia non esse futura, E. nec certò futura; sunt enim indifferentia ad esse & non esse: Resp. enim neg. consequentiam; cum, ceu ex superioribus patet, rem esse Contingentè, & eandem esse determinatè &

H 3

certò

certò futuram nõ pugnent. Sicut enim causa aliqua potest agere & non agere: ita res ab eâ potest produci & non produci, quâ ratione est contingens. Sicut autem eadem causa se aliquando certò determinatura est ad effectum producendum: ita effectus certò est producendus & futurus. Quod autem se sit certò determinatura, probatur, quia si in præsentì se determinat certò, ante illud tempus præsens se determinatura est, aliàs enim in præsentì se nunquam determinaret. E. g. Si petrus jam peccat, ante hoc instans aut fuit aliquando peccaturus aut nunquam: non hoc, quia de eo, qui nunquam est peccaturus nunquam in præsentì dicere possum quod peccet. Est ergo aliquando peccaturus, ita tamen, ut possit etiam non peccare. Peccatum igitur certò futurum est, licet absolutè loquendo possit esse non futurum. Evidentissima hæc sunt, ut mirer, Tvvissum ea non assequi.

XVI. Vidimus hæctenus, quàm infirmum sit, quod affert Smalcus, ut denegat

neget DEO futurorum Contingentium  
præscientiam, & quod futurorum Con-  
tingentia præscientiæ divinæ non ad-  
versetur, nec ullô modô eam impedi-  
re possit. Ex ipso etiam Smalcio de-  
duximus, omnia futur. Cont. cadere  
sub divinam præscientiam, cum in o-  
mnibus locum habeat causa, propter  
quam juxta ipsum Smalcium futura  
præsciri dicuntur, ipsorum sc. certitu-  
do. Pergit Smalcius, & dum Franzius  
intrum in modum extollit scientiam  
DEI Fut. Conting. dicit, *Franzium de  
Deo extra S. literas affirmare & prædi-  
care ea, quæ sunt imperscrutabilia & in-  
excogitabilia: addit: Si imperscrutabi-  
lis est, quomodo eam nobis obtrudit Fran-  
zium?* unde ad omnia respondere cona-  
tur Smalcius, quæ à Frantz. ex scriptura  
adducuntur, ad probandam præscien-  
tiam futurorum Conting. Duo igi-  
tur hæc Smalcius asserit, I. Præscien-  
tiam DEI Fut. Conting. cum sit inexcog-  
itabilis & imperscrutabilis, (desumit  
ex ipso Franzio) non posse sufficienter

H 4

pro-

probari, multò minùs aliis obtrudendam esse: 2. de DEO prædicari talem scientiam extra S. Scripturas. Primum quod attinet, not. scientiam DEI futurorum contingentium duobus modis spectari posse. 1. quoad esse, seu quod sit. 2. quoad modum, quò DEUS cognoscit futurum contingens. Priori modò si consideretur, negamus præscientiam DEI F. C. esse inexcogitabilem & imperscrutabilem (neque ut arbitror, hoc Franzio adverbabitur) & dicimus, eam etiam lumine rationis extra Scripturam sacram cognosci posse, quod facilimè probatur, quia naturaliter cognoscimus non tantùm, quid sint Fut. Cont. quòd determinatum habeant esse, & per consequens sint cognoscibilia: sed etiam naturali lumine assequimur aliquò modò summam DEI perfectionem in cognoscendo. Si igitur naturaliter cognoscimus, DEUM esse ens perfectissimum, perfectissimum esse intellectum DEI, & per consequens, eum non posse non se extendere ad omne scibile, cognoscimus præ-

præterea etiam, quid sint futura Con-  
tingentia quòd determinatum esse ha-  
beant & scibilia sint, quid obstat, quo-  
minus ratione assequi & cognoscere  
queamus, DEI intellectum extendi  
quoque ad Fut. Cont. Hæc omnia in  
superioribus probata fuerunt: Neque  
hoc modò Franzii verba intelligenda  
esse videntur, quando præscientiam E.  
C. vocat inexcogitabilem & imperscru-  
tabilem.

XVII. Posteriori modò si sumitur  
præscientia DEI Fut. Cont. ratione mo-  
di, quò sc. modò E. C. à DEO cogno-  
scantur, verum est, eam esse inexcogi-  
tabilem, vel potiùs modum, quò DEUS  
fut. Conting. præscit, esse inexcogitabi-  
lem & imperscrutabilem, nobis enim  
non constat, quomodo cognitio ista  
peragatur, cùm interim de re ipsa cer-  
tissimi simus, quod ex præcedentibus  
luce meridianâ clarius est. Hæc ratione  
sine dubiò loquitur de Præscientia DEI  
E. C. Franzius, unde h. m. neganda est  
major in argumentò, quod supr. ex  
Smalcio formavimus; erat enim ma-

H 5

JOR

jor dicti argumenti hæc: Quæ senten-  
 tia de DEO extra S. literas affirmat &  
 prædicat ea, quæ sunt imperscrutabilia  
 & inexcogitabilia quoad modum, ut  
 modus eorum ignoretur & in Scriptu-  
 ra non explicetur, illi locus non est  
 concedendus. Hanc majorem Smal-  
 cius pro falsâ agnoscat, oportet, nisi &  
 sibi & aliis è Photinianorum grege  
 contradicere velit. Nam ipse Smal-  
 cius *l. c. §. 5.* fatetur, DEUM scire etiam  
 illa, quæ ab hominibus scire nequeunt.  
 Et Ostorod. *Instit. Germ. c. 3. n. V.* ait:  
 Umb desselben Gehorsams willen/ müssen  
 wir es auch gewis dafur halten/ daß Gott  
 vollkommen Weise sey/ das ist/ daß er alle  
 Dinge wisse und kenne/ also auch/ daß ihme  
 unser Herz gar wohl und viel besser/ denn  
 uns selber bekandt ist/ &c. At verò expli-  
 cent modum, quô DEUS omnia cogno-  
 scit, dicant, an per speciem intelligibi-  
 lem, an sine ea cognoscatur, an essentia  
 divina ipsa sit species & quomodo? Hoc  
 quia præstare nequeunt, Maj. proposi-  
 tio in argumento ex Smalcio formato,  
 manet falsa, quod scilicet sententia quæ de  
 DEO



DEO extra S. literas affirmat & prædicat ea, quæ sunt imperscrutabilia & incogitabilia quoad modum, ut nec Scriptura modum exprimat, falsa sit & rejicienda.

XIIX. Deinde Smalcus ait, hanc scientiam fut. Cont. prædicari de DEO extra Scripturas: nullum icil. putans de ea in Scriptura extare testimonium: Unde ad omnia Scripturæ loca à Franzio ad probandam Fut. Cont. scientiam allata respondere conatur, sed irritò planè conatu. Licet autem multa hîc occurrant, quæ ad Theol. Cathedram spectant, ita tamen hanc rem tractabimus, ne in alienam messem falcem immittamus.

XIX. Primò igitur à Franzio adfertur exemplum mortis & passionis Christi, quæ à DEO prævisa fuit; ad quod respondet Smalcus: *hoc non tam hominum actio, quàm Dei opus censendum est, qui omnia, quæ Christo acciderunt, decernere potuit divinâ suâ sapientiâ &c.* Non disputabimus jam, an omnia, quæ evenerunt in passione & morte Christi,  
à DEO

à DEO fuerint decreta, sed hoc saltim dicimus, Smalcium h. m. non elabi: In ea enim videtur esse sententia, DEUM ideò præscivisse mortem & passionem Christi, quia eam decrevit, adeoque rationem præscientiæ putat esse Decretum DEI. Verùm si vel maximè ponamus à DEI decreto desumi aliquò modo posse rationem præscientiæ, illa tamen ratio non erit proxima. Si enim v.g. quæritur, cur hoc vel illud præsens à DEO cognoscatur, non respondetur, propter decretum DEI, sed ideò cognosci dicitur, quia habet esse determinatum. Idem dicendum erit de nostro exemplo, quòd sc. mors & passio Christi à DEO non fuerit cognita propter decretum divinum, sed proximè, quia habuit esse determinatum, sive quia determinatè, vel, ut loquitur Smalcus, certò fuit futura; Datò igitur hòc, quod negari nequit, infallibiliter sequitur, omne futurum contingens certò à DEO præsciri, ratio est, quia omne futurum contingens determinatum esse, seu determinatam veritatem habet: illud  
autem

autem cum fusiùs ostensum fuerit in superioribus, hîc repetere, esset crambem bis coctam apponere.

XX. Ad secundum locum de abnegatione Christi à Petro factâ respondet Smalcius, illam abnegationem à DEO præsciri omninò potuisse, *cum fuerit pœna, quæ à DEO inflicta fuit Petro.* Et in seqq. ita ait: *Itaq; si nulla impietas in eo est quod peccatum tam atrox decernitur, sed magna tantùm divina severitas, quomodo impium censendum est, si decernantur etiam quædam circumstantiæ, quæ ad peccatum illud exequendum necessaria quodam modò sunt? Tantum enim necesse erat ad hoc facinus exequendum, voluntatem Petri ad breve temporis spatium libertate suâ privatam & quodammodo coactam esse, quod DEUM interdum facere posse & solere nec impium est, nec absurdum, sed tantùm severum DEI iudicium.* At profectò si hæc non est blasphemia, quid tandem blasphemix nomine venire queat, non video. Ordine hæc examinabimus. Primò igitur ponamus (quamvis non concedamus

damus

damus Smalcio) abnegationem fuisse poenam Petro à DEO inflictam, nondum tamen salva res est. Imprimis enim hîc questio est de ratione, ob quam hoc vel illud futurum præsciri dicitur à DEO. Hanc assignare debebat Smalcius, & ostendere, quod propter illam hoc vel illud v.g. Petri abnegatio à DEO cognita fuerit, quod sanè non præstat, dum dicit, abnegationem istam fuisse poenam à DEO inflictam Petro: neque enim poena est ratio, propter quam DEUS præscivit prædictam abnegationem, sed determinata veritas vel esse determinatum, quod abnegatio ista habuit, quia enim determinatè & certò fuit futura, non potuit non certò præsciri à DEO.

XXI. Verùm video Smalcium totum in eo esse, ut abnegationem Petri è numero contingentium eximat, & in classem necessariorum transferat, dum dicit, voluntatem Petri libertate privatam & ad abnegationem istam coactam fuisse. Tria igitur h. l. ostendenda sunt, i. Smalcium falsò & non sine blasphem.

phæ.

phemia asserere, voluntatem Petri ad abnegationem coactam adeoque abnegationem necessario factam fuisse. 2. illam abnegationem esse è numero contingentium & 3. eam cognitã à Deo fuisse ob determinatum esse, sive quia determinate fuit futura. Ex quo rursus deduci potest, omnia futura Contingentia à Deo cognosci, cum in omnibus hæc ratio inveniatur. Primum igitur quod concernit, sine ratione Smalcus affirmat voluntatem Petri privatam fuisse libertate suã. Neque enim firma aliqua probatione confirmari potest, libertatem voluntatis ab ipsa voluntate realiter esse distinctam; imò contrarium probatur h. m. Si libertas voluntatis est realiter à voluntate distincta, aut est actus aut habitus voluntatis. Neutrum potest, salvã quidem veritate; dici, E. libertas à voluntate distincta non est. Quod non sit habitus, ostendo h. m. Omnis habitus est acquisitus vel infusus. libertas non est acquisita nec infusa. E. non est habitus. Quod neque sit actus; probatur h. m.

Si

Si libertas est actus voluntatis, aut erit actus liber, aut necessarius: Non est necessarius, quod facile conceditur: Est igitur actus liber, quod absurdum, cum, stante hoc, dicendum sit, actum liberum (nempe libertatem) provenire à potentia sive voluntate quatenus sine libertate spectatur, quod à ratione quàm alienissimum est.

XXII. Deinde ex eò, quod asserit Smalcus, voluntatem Petri ad abnegationem coactam fuisse, duo deducimus, quæ non absurda tantum, sed & impia sunt. Præsupponimus autem ex ipso Smalcio abnegationem istam atrox fuisse peccatum, ita enim ipse l. c. vocat. Jam igitur ex eo, quod juxta Smalcium voluntas Petri ad abnegationem coacta fuit, deducimus 1. quòd Deus perse & directè sit causa peccati. 2. quod culpa, quæ consequitur peccatum, non in Petro, qui peccati actum exercuit, sed in Deo resideat: quæ duo à Smalcio admitti non possunt sine summa impietate, & ea asserere religioni est *Fausto Socino in prælect. Theol.*

c. ii. Prius quidem, quia si ille, qui persuadendo saltim alterius voluntatem movet, ut tamen nullam voluntati afferat necessitatem, vera dicitur causa peccati, quod à persuasione ista oritur: quanto magis Deus, si (juxta Smalcium) cogit voluntatem, ut in ejus potestate non sit nō agere vel aliud agere, sed cum vi quadā trahatur quasi ad peccatum, erit causa vera peccati? Posterius verò: quia quando duæ causæ, quarum altera liberè, altera necessariò, imò coactè agit, ad peccatum concurrunt, nemo culpam transfert in causam necessariam, multò minus in causam, quæ ex coactione egit, sed quis causam liberam accusat, eamque in culpa esse clamitat. Sumamus e. g. equum & equitē, quorum hic est causa libera, ille verò necessaria. Quod si equus ab equite calcaribus instigatur, ut cursu vel hominem lædat, vel aliâ ratione damnū inferat, nemo equum in jus vocat, utpote qui necessariò vel etiam coactè fecit id, quod fecit; omniū autem consensu culpa redundat in equitem, ut causam liberam, à qua e-

I                      quis

quus instigatus fuit. Si igitur à Deo coacta fuit voluntas Petri ad abnegationem Christi, nemo sanus accusabit Petrum, sed culpa, quæ peccatum istud atrocissimum subsequuta fuit, transferenda erit in DEUM. Dicant jam Photiniani, hæc, ad quæ piæ aures non possunt non exhorrescere, nec impia, nec absurda esse.

XXIII. Relinquitur ergo, abnegationem Petri non ex eorum censu, quæ necessario, multò minus eorum numero, quæ ex coactione fiunt, esse, sed contingentibus & iis quidem, quæ intrinsicè talia sunt, annumerandam esse. Si enim non necessario, multò minus coactè perpetrata fuit, contingentibus non potest non annumerari, liberè igitur facta fuit, ut potuerit etiam non fieri. In futuris autem contingentibus duo dantur, 1. indifferentia, quatenus spectantur in ordine ad causam, prout est indifferens ad opposita, sub qua ratione propriè dicuntur contingentia 2. determinata veritas, seu quod determinatè futura sunt, prout scilicet considerantur cum respectu ad

ad





sermo est. Duo igitur, brevissimè tamè,  
 contra Smalcium hîc quoq; notamus. 1.  
 ipsum peccatum primorū Parentum, in  
 se spectatum, cognitum fuisse à DEO. 2.  
 ob eandem rationem, ob quam cog-  
 nitum fuit peccatum primorum paren-  
 tum, cognosci à DEO omnia futura  
 contingentia. Prius quod attinet, ne-  
 gari non potest, peccatum primorum  
 parentum actu aliquando fuisse, & esse  
 suum (liceat ita vocare) habuisse in præ-  
 senti & per illud etiam cognitum fuisse  
 à DEO: at verò per idem esse, prout sal-  
 tim aliud temporis instans connotat,  
 peccatum istud fuit futurum, quid igi-  
 tur obstat, quo minus peccatum illud  
 futurum, quod habuit esse determina-  
 tum, per illud esse potuerit à DEO co-  
 gnosci? Ex hîc fluit alterum, quod sci-  
 licet omnia futura contingentia, pro-  
 pter esse, quod habent, determinatum  
 à DEO possint cognosci, quod non se-  
 mel hætenus monuimus.

XXV. 4. Adducit Franzius exem-  
 plum oppressionis & servitutis Israeli-  
 tarum in Ægypto, quam cognitam à  
 DEO

Deo fuisse asserit. Ad quod respondet Smalcus, prædici eam potuisse propter decretum Dei. Verùm quid de hac responsione Smalcii sentiendum sit, diximus in præced.

XXVI. Quintò Franzius adfert futuram fornicationem populi Israelitici, quam prædici potuisse ait Smalcus, quod esset verisimilis: Sine ratione & unicè ad errorem suum defendendum hoc dicere Smalcium, ex iis intelligitur, quæ non semel hæctenus inculcavimus, quia enim fornicatio ista esse determinatum habuit, quæ causa, quod ratione ejus à DEO non fuit cognita, sed saltim ut fuit vero similis.

XXVII. Franzius 6. in medium producit locum *Psal. 139. Intellexisti cogitationes meas de longe &c.*: ad quem respondet Smalcus, textum non loqui de fut. Conting. sed de eo, quod suò modo est, nempe coram DEO, qualia sunt hominum cogitationes & vie. Has DEUM cognoscere, inquit Smalcus, etiã de longè h. e. antequam homo eas ad effectum perducatur, quamvis eas celet, ex animo fate-

1 3                      mur.

*mur.* Hæc responſio Smalcii, quod cogitationes, quæ à Deo de longe dicuntur cognosci, ſuo modo ſint, nempe coram Deo, duobus modis poteſt intelligi. 1. quod habeant eſſe reale in præſenti. 2. quod habeant eſſe obiectivum coram Deo, ita, ut eſſe reale in ſe nondum habeant. Si prius vult Smalciius, cur dicit eas habere eſſe **SUO MODO** coram Deo, cum, quæ eſſe reale habent, absolute loquendo ſint. Aut ſi fortassis hoc vult Smalciius cogitationes de quibus h. l. eſt ſermo, **coram Deo** habere eſſe reale, non tamen **in ſe** & absolute loquendo, concedat oportet ea, quæ jam habent eſſe reale, poſtea denuò illud accipere, quod quam absurdum ſit, quis non videt? Neque etiam textus admittit, ut cogitationes, quæ exiſtunt, intelligantur: quomodo enim iſtæ è longinquo videri poſſint, non apparet. Quod verò Smalciius *Tò de longe* explicat, quaſi idem ſit ac antequam homo cogitationes ad effectum perducatur, quantumvis eas celet, quibus hoc vult, **Deum** **cogno-**

gno-

gnoscerent cogitationes antequam erumpant & per exteriores actus sese prodant: ad id Resp. hoc non esse de longe cognoscere cogitationes ipsas, sed actus earum, per quos se exerunt. Imò stante hâc sententia adhuc sequi videtur, DEUM F. C. cognoscere, cognoscit enim actus exteriores futuros, per quos interiores cogitationes se produnt. Quod si verò intelligit Smalcus esse objectivum, habemus reum confitentem, si enim cogitationes de quibus Psalmus loquitur, habent esse objectivum, non verò esse reale, sequitur, quod à DEO cognoscantur illæ cogitationes, quæ nondum sunt actu, sed adhuc futuræ.

XXVIII. Sequuntur cætera argumenta Smalcii: in primò eorum negamus minorem, quod F. C. scientia se ipsam destruat. Putat scilicet Smalcus, Contradictionem involvi, F. C. sciri sive cognosci, ad quod in superioribus fusè responsum fuit: si enim vel maximè obtinet Smalcus, futurum Cont: præsciri non posse, quatenus est con-

tingens, hoc est, ad utrumlibet indifferens, ut possit esse & non esse, nondum tamen quod desiderat, obtinet, adhuc enim F. C. cognosci potest, propter veritatem determinatam, sive esse determinatum, quia determinatè futurum est.

XXIX. In secundo argumento similiter negatur minor, quod Scientia futur. conting. repugnet S. literis, aut vim aliquam ipsis adferat, cum Scriptura multa admodum exempla suppeditet, quæ evidentissimè Scientiam DEI circa F. C. adstruunt, ut ex præced. loc. manifestum est, quibus adjungimus *Actor. 15. 18. Nota sunt DEO ab æterno omnia opera sua.*

XXX. Ad 3. Resp. neg. maj. damus instantiam de præteritis: præterita nullo modo sunt, ea tamen à DEO cognosci Smalcius negare non potuit. Falsa igitur est major. Ex ipso etiam Smalcio ea infringi potest, quippe qui largitur quædam futura, quæ scilicet certò sunt futura (ita enim ipse loquitur) à DEO cognita fuisse: hæc sanè, dum ad-

huc

huc futura fuerunt, absolute loquendo, nondum fuerunt, DEUS nihilominus, fatente etiam Smalcio, ea cognovit. Quod si quis dicere velit, ea habuisse esse cognitum & volitum, quatenus DEUS ea cognovit & voluit; eum nugas agere dicemus; quid enim aliud est, aliquid respectu DEI habere esse cognitum & volitum, quam DEUM illud ipsum cognoscere & velle: at vero DEI cognitio & volitio in rebus nullum esse ponit.

XXXI. Quod attinet quartum, iudicat Smalcus in vocabulo *Scibile*, dum in maiore dicit, Contingens non esse Scibile. Notandum igitur, quod sicut Scientia, ita & scibile variis modis sumatur. Duas h. l., enumerabimus acceptiones, i. igitur Aristoteli *1. post.*  
2. Scientia sive τὸ scire est rem per causam simpliciter proximam cognoscere, quâ ratione ad Scientiam necessitatem requiri non negamus, sed hæc significatio huius loci non est. Talis enim scientia est finis demonstrationis. DEUM autem per demonstrationem scientiam

tiam non acquirere, supra diximus 2.  
 Scientia sumitur pro cognitione, quæ  
 interdum confusa, interdum distincta,  
 certa & accurata est, quô modo sci-  
 bile est, quod tali cognitione attingi-  
 tur: & in hac acceptione tribuimus  
 DEO scientiam, non confusam quidem,  
 sed distinctam, certam & infallibi-  
 lem. Talem autem cognitionem re-  
 quirere necessarium objectum, affir-  
 mari non potest, nisi quis dicere velit,  
 omnia quæ in præsentia sunt, (quæ à  
 DEO cognoscuntur) esse necessaria,  
 quod absurdum. Patet igitur, majo-  
 rem unà cum probatione esse falsam,  
 si sermo sit (ut omninò est) de scientia  
 & scibili posteriori modo.

XXXII. Rationibus à Socino addu-  
 ctis satisfieri potest ex iis, quæ modo di-  
 cta sūt. In prima igitur neg. minor, quod  
 F. C. nō sint certò futura. Spectata enim  
 in ordine ad causas, nō quatenus sunt  
 indifferentes, sed prout se aliquādo de-  
 terminaturæ sunt, determinatè & certò  
 ea esse futura, sine summa ignorantia  
 negari vix potest; e. g. quatenus volun-  
 tas



tas hominis vel homo se determinaturus est ad aliquem effectum, determinate omnino futurus est effectus, & certo producendus, licet possit etiam non produci. Verum hisce obstant ea, quæ in probatione addit Socinus, nec hominem nec voluntatem hominis posse esse causam, propter quam aliquid futurum dicitur, quia prænotio & consequenter rei certitudo, non modo ortum hominis, qui eam rem facturus est, antecedit, sed ab omni æternitate fuit. Resp. Homo & voluntas hominis dupliciter potest considerari. 1. prout actu in aliquem effectum influit. 2. spectari etiam potest voluntas hominis vel Homo quatenus se determinaturus est, ad unum oppositorum, illudque producturus. Priori modo verum est, nec hominem nec voluntatem hominis esse causam futuri, per hoc enim, quod homo actu influit in aliquid id non est futurum, sed fit actu existens: verum quoque est, quod Socinus ait, prænotationem & futuri certitudinem præcedere hominem ejusque voluntatem

tem

140 *Cap. IX. In quò tractatur questio,*  
rem h. m. spectatam. Si verò posteri-  
ori modo consideratur homo, sine hæ-  
sitatione asserimus, aliquid certò futu-  
rum quia v. g. homo ad illud sese de-  
terminaturus, illudque certè aliquan-  
do est producturus. Falsum etiam est,  
quod probationis loco adducit Soci-  
nus, prænotionem Dei & futuri certi-  
tudinem priorem esse homine ejusque  
voluntate, quatenus h. m. spectatur:  
nam quia homo certò ad hunc effe-  
ctum se determinaturus est, eumque  
producturus, inevitabili necessitate se-  
quitur, effectum illum aliquando pro-  
ducendum & consequenter certò fu-  
turum esse, ideò autem, quia certò fu-  
turus est, à Deo cognoscitur: quia igi-  
tur certitudo (nostro saltim concipien-  
di modò) prior est prænotione Dei,  
ideò & id, unde est certitudo, (est au-  
tem à voluntate hominis vel homine,  
non quatenus est indifferens, sed qua-  
tenus se certò ad illum effectum est de-  
terminaturus) prius est prænotione  
DEI.

**XXXIII.** Secundæ rationi satisfacē-  
mus

mus in responsione ad tertium Smalcii argumentum. Ad tertiam Resp. neg. minor. Dicitis: positâ scientiâ Dei circa rem aliquam futuram, necessariò illa erit futura, aliàs enim falli posset scientia Dei. Resp. Sciendum, duplicem esse necessitatem: Absolutam, & eam quæ dicitur ex hypothesi; Prior sicut excludit contingentiam & libertatem hominis: ita cum eadem posterior optimè stare potest. His præmissis dico: positâ scientia Dei circa rem aliquam futuram necesse est, eam esse, necessitate scil. hypothetica, non absoluta: hypothetica autem nec libertatem hominis, nec rerum contingentiam lædit, quod notissimum.

XXXIV. In quarto neg. min. Quod in probatione dicit Socinus prænotationem F. C. adimere DEO curam rerum humanarum, eumque otiosum reddere, ad id Resp. eâdem facilitate, quâ à Socino affirmatur, à nobis negari. Pergit: Nam quid attinet, DEUM, quæ ab hominibus fiunt, perpetuò contemplari, si ea jam antea novit, quam

quàm fierent? Resp. Hoc requirit infinita intellectus divini perfectio, ut sc. quamdiu adest scibile, à DEO cognoscatur. Progreditur Socinus: quid item ea pro arbitrato moderari, si jam antea certissima erant, nec nisi unô modo esse poterant. Resp. negatur, res futuras, quas DEUS scit, non nisi uno modo esse posse: confunditur necessitas cum certitudine. Certò sunt futuræ, non tamen necessariò: certò, inquam, sunt futuræ, quia causæ certò sunt producturæ tales res: sed quia ita sunt producturæ, ut possint etiam non producere, ideo res ita sunt futuræ, ut possint esse non futuræ: DEUS igitur moderatur has res, quia aliter atque aliter evenire queunt.

XXXV. Consequens nunc est, ut nos convertamus ad ea, quibus Socinus pugnam inter hanc scientiam & inter Scripturam S. esse, probare conatur. In primo eorum negamus antecedens quod sc. positâ præscientiâ futurorum contingentium, multi loci Scripturæ S. non possint intelligi aut

explicari. Primus autem locus, quem, stante DEI præscientiâ F. C. explicari non posse, putat Socinus, est *Gen. VI. 7.* ubi dicitur, *DEUM propter hominum iniquitatem, quæ in terra abundaverat, contristatum fuisse.* Putat Socinus, DEUM, positô, quod iniquitatem præsciverit, contristari non potuisse; aut quia contristatus est, iniquitatem istam non præscivisse, ut ita contristatus fuerit propter istam iniquitatem, quæ præter ejus spem, opinionem & præscientiam acciderat. Verùm poterit hic locus explicari & commodè intelligi, positâ & stante etiam præscientiâ futurorum contingentium. *Hoc ut clarum fiat, notandum, quod contristatio & pœnitentia, de qua d. l. sermo est, si propriè sumitur, duo importet, i. internum motum sive dolorem ex eô, quod perpetratum & commissum fuit, ortum. 2. decretum de destruendo illo, ex quô dolor ortus fuit, vel saltim de eo amplius non committendo; sic dum Petrum abnegationis pœnituit in eo fuit i. dolor ex commisso peccato ortum*

tum

tum trahens, quem etiam acerbissima  
 indicant lacrymæ. 2. decretum de tali  
 & simili peccato amplius non commit-  
 tendo, quod testatur amor, quem erga  
 Dominum declarat *Job. 21. 15. 16. 17.* &  
 si integrum ei fuisset, peccatum revo-  
 casset. Hoc modo si accipitur contri-  
 statio & pœnitentia concedi potest,  
 eam posse tollere præscientiam. At  
 verò DEO in strictâ hac acceptione tri-  
 bui non potest pœnitentia, cum maxi-  
 mam involvat imperfectionem; Im-  
 portat enim pœnitentia ita strictè sum-  
 ta internam in pœnitente mutatio-  
 nem, potentiamque passivam perquam  
 recipit motum illum & dolorem inter-  
 num; talia autem DEO tribuere, est in  
 ipso maximam ponere imperfectio-  
 nem, quam à DEO ipsi etiam Photiniani  
 procul abesse jubent. Dicendum igitur,  
 DEO contristationem ac pœniten-  
 tiam tribui alio modò, ut non importet  
 internam mutationem in eo. Modum  
 hunc optimè explicat *Lyra in C. VI. Gen.*  
*v. 7. cùm inquit: Pœnitentia & dolor &*  
*cetera passiones nullo modò sunt in DEO*  
*secun.*

secundum rem, sed secundum similitudinem, & dicitur pœnituisse, quod ad modum pœnitentis se habuit volens dissipare, quod prius fecerat, quam sententiam ut refert, B. Dn. D. Glasius. Rhet. S. tract. 1. c. 7. confirmat Chaldeus, qui dictum locum ita reddit: *Et dixit in verbo suo, se confracturum potentiam eorum secundum voluntatem suam.* Ex his constat, quod Deo tribuatur pœnitentia, quia facit, vel facere decrevit id, quod aliàs facere solet is, quem rei alicujus pœnitet, quam explicationem necessario admittere coguntur Photiniani, nisi maximam in Deo concedere velint imperfectionem. Atque hæc pœnitentia præscientiam non destruit: quid enim obstat quò minus quis destruat rem, quam præscivit hoc vel illo modò eventuram esse: v. g. Sit ægrotus, qui petendo instet apud Medicum, velit permittere, ut hoc vel illo cibò utatur, quem maximum damnum ægroto allaturum esse novit Medicus: pertinaci tamen petitioni locum relinquit; quod si morbus ex  
K sumtò

sumtò cibo incrementum capit, præscivit illud prudens Medicus, de eo tamen fugando cogitat, & tandem penitus tollit.

XXXVI. Eodem res redit, si dicamus, per poenitentiam, (quam Deo propriè non competere, suprà diximus) cum Deo tribuitur, intelligi displicentiam & gratiæ subtractionem, ut notat *B. Dn. Glasius Rhet. S. Tract. I.* Hòc modò autem poenitentia non tollit præscientiam, potest enim quis præscire id, quod ipsi displicet.

XXXVII. Producit Socinus alium locum quem commodè explicari non posse arbitratur, si admittatur præscientia Dei futur. conting. nempe *Gen. 22. 12.* ubi ait Deus. *Nunc cognovi, quod timeas Deum.* Si Deus antea scivit pietatem Abrahami, cur dicitur, quòd nunc cognoverit. Et, si nunc cognovit, quomodo antea eam quoque perspectam habuit? Verùm nihil obtinet Socinus, quia enim ex præced. clarum est, Deo cognitam fuisse Abrahami pietatem, antequam immolare voluit

luit



luit filium, patet DEUM h. l. non velle, quasi eò tempore, quò Abraham voluit immolare filium, cœperit cognoscere Abrahami pietatem. Nam *Genes. 18. 19.* DEUS summam Abrahami pietatē extollit cùm, *scio*, inquit, *quod praecepturus sit Abraham filiis suis, & domui suae post se, ut custodiant viam Domini, & faciant iudicium & iustitiam.* Locus igitur *Gen. 22. 12.* non ita est accipiendus, quasi tunc cœperit DEUS Abrahami fidelitatem cognoscere, oppositum enim jam ostensum fuit, sed quia ab Abrahamo tam illustre documentum externum fidei & obedientiae, antea nondum, erat editum, ait Dominus: nunc scio &c. quasi dicat; nunc manifestò & externò indiciò comperta est cordis tui fiducia & obedientia. *Lyra explicat: Nunc alios cognoscere feci.* Stante hâc explicatio-  
ne, quam non possunt repudiare Phoriniani, nondum apparet, quomodo præscientia divina peti clitetur, cur enim DEO illud non potuit esse cogni-  
tum,

tum, quod Abraham postea peculiari documentò probavit?

XXXVIII. Tertius locus, quam stante præscientiâ Futurorum Contingentium explicari non posse, Socinus sibi persuasum habet, extat *Esa V. v. 4. 7. Quid est, quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci ei; an quod expectavi, ut faceret uvas & fecit labruscas? &c. & vers. 7. Expectavi ut faceret iudicium, & ecce iniquitas &c.* Sed res salva est. Primò igitur quærit DEUS per Prophetam, *quid est* inquit, *quod ultra debui?* &c. & quæstio æquivalet negationi, quasi dicat; nihil est, quod amplius vineæ meæ conferri possit ut uvas proferat, seu, omnia media ad populi mei conversionem necessaria adhibita, & quidem eum in finem, ut convertatur, & fructus poenitentia dignos proferat, verum his omnibus spretis, labruscas protulit, h. e. pessimè vixit. Quomodo autem eventus hic intentioni DEI minus respondens tollat præscientiam DEI, nondum video. Illustrabimus rem exemplo: Sit ægrotus, in

in quo nulla spes valetudinis: videt hoc ipsum medicus, applicat nihilominus medicamenta etiam præsentissima & pretiosissima, serio etiam optans, ut illa ægroto sanitatem restituant; quod si verò eventus expectationi ejus non respondet, anne dicendum statim, medicum ignorâsse periculum mortis? Idem de adducto loco sentiendum est.

XXXIX. In altero Socini argumento negamus antecedens, quod scilicet admittâ præscientiâ divinâ, multa quæ in S. literis DEO tribuuntur, vel falsò ipsi tribuantur vel imprudentiæ ipsum coarguant. Ad probationem quod attinet, quâ dicit Socinus: *quomodo id vel verum esse poterit, vel DEO dignum, quod Scriptum est, ipsum dixisse Num: 14. v. 12. se jurasse, quod introducturus esset in terram Chananæorum populum, & tamen propter ipsorum peccatum se id amplius non facturum &c.* Respondetur, hæc omnia absurda nō esse, nec præscientiam DEI destruere, modò consideretur, promissionem illam de futurâ terra Chanan. non fuisse abso-

K 3      lutam-

lutam, sed conditionatam, ut patet ex *Exod. 23. v. 22. & Levit. c. 26.* At v.annon quis ex animo jurare potest, se hoc vel illud facturum posita tali conditione, ut tamen neget, se idem facturum esse, si scilicet conditio non ponatur. Juravit igitur & ex animo juravit DEUS, se introducturum esse Israëlitas in terram Chanaan, positâ conditione, sub qua terram illam promisit Israëlitis, positô scilicet timore & verâ obedientiâ Israëlitarum erga DEUM: se verô illud facturum esse negavit, cum conditio negata fuerit. Dicant jam Photiniani, quomodo hic locus tollat DEI præscientiam, aut quomodo DEO aliquid tribuatur falsò vel tale quid, quod ipsum coarguat imprudentiæ:annon enim DEUS præscire potuit id quod Israëlitis dare promisit positâ conditione, eâ verò sublatâ se ipsis daturum esse negavit?

XXX. Denique Crellii quoque argumentis satisfacere, non est difficile. Ad I. ergò ut respondeatur, præmittenda notissima distinctio inter ne-

ces

cessarium necessitate absolutâ, cujus scilicet contrarium esse aut fieri contradictionem implicat; & necessarium ex hypothesis, quod nempe posito aliquo non potest non esse, quamvis in se spectatum contingens sit. Aut igitur Crello in maj. præpositione sermo est de necessariô necessitate absolutâ, aut de necessario ex hypothesis: si prius, consequentia erit talis: si omnia futura Deo ab omni æternitate fuerunt cognita, sequitur omnia necessariô fieri aut futura esse necessitate absolutâ: hæc verò consequentia nulla est. Nam absoluta hæc necessitas omnibus rebus, quæ fiunt aut futura sunt, aut per se competet, aut propter præscientiam divinâ; non per se, quod est extra controversiâ; nec etiam propter præscientiâ divinam, quia res esse necessarias vel contingentes, necessariô aut contingenter futuras, est prius quid præscientiâ divinâ, prius enim res concipimus ut necessarias vel contingentes, ut necessariô aut contingenter futuras, deinde vero quod Deus eas præsciat:

K 4

S<sub>1</sub>

Si igitur hoc quod necessariae vel contingentes sunt, est prius quid præsciētiâ divinâ, non apparet, quomodo præscientia divina rebus vel necessitatem vel contingentiam dare possit, quam ob causam etiam nulla est Crellii consequentia: *si omnia futura DEO ab omni eternitate fuerunt cognita, sequitur, omnia necessario fieri aut futura esse necessitate absolutâ, ita, ut hanc necessitatem habeant à præscientiâ divinâ, ratio cur hæc consequentia negetur, ex modò dictis facile desumi potest.*

XXXI. Si vero Crellio sermo est de necessitate ex hypothesi, negatur, quod consequens sit absurdum, omnia scil. fieri aut futura esse necessario, necessitate ex hypothesi: cum enim scientia DEI infallibilis sit, & errare nesciat, facile patet, quod, cum præscire dicitur aliquid esse futurum, necesse sit, illud esse futurum necessitate sc. hypotheticâ, seu ob hypothesin, quod DEO illud præsciat: at vero hanc necessitatem non tollere rerum contingentiam etiam pueris notum est. E. g. cum dico:  
 si

si Petrus currit necessario movetur, necessitate scil. hypotheticâ, hac vero non obstante, utrumque, Petrum currere & moveri in se & absolute contingens est.

XXXII. In secundô argumento Crellii iterum consequentia negatur, quam Crellius non probat. Videtur tamē hunc in modum confirmari posse: Si DEUS infallibiliter omnia præscit, sequitur omnia necessario futura esse: si omnia necessario sunt futura, DEUS ad omnia necessario concurret, & per consequens, nulla in DEO erit voluntatis libertas. Verum hanc ipsam consequentiam, *si DEUS omnia infallibiliter præscit, sequitur, omnia necessario futura esse*, nullius esse precii, in præcedentibus ostensum est. vid. Joh. Hornbeck, Socinianism. conf. Tom. 1. l. 2. c. 3. sect. 3.

XXXIII. Consideranda nunc breviter sunt ea, quæ ex Scriptura S. Crellius adduxit. Adfert 1. locum Gen. XIX. 21. ubi DEUS ait: *descendam nunc & videbo, an secundum clamorem ejus,*

K 5

qui

*qui venit ad me, fecerint consumptionem, annon, ut sciam.* Verum hic locus non juvat Crellium. Nam (α) respondent Theologi, loqui Jehovam omniscium de se more hominum, qui, ut rem sciant & cognoscant, ad locum, ubi facta est, se conferunt, & αὐτοψία aliisque mediis de eâ certi fiunt; verba sunt B. Glasii *Rhet. s. tr. l. c. 7.* (β) quæstio hic est de futuris contingentibus, an DEUS ea præsciat: producendus g. est locus, qui agat de futuris contingentibus, & ostendat, DEUM ea non præscire. At vero hic locus non de futuris agit, sed de præteritis, dicit enim DEUS *descendam & videbo, an secundum clamorem, qui venit ad me, fecerint, &c.* non verò, *an facturi sint*: si igitur hic locus probat, DEUM aliqua ignorare, probabit DEUM ignorare potius præterita quàm futura. Dicere autem, DEUM ignorare præterita, quid aliud est, quam scientiam DEI inferiorem facere scientiâ creaturarum?

XXXIV. Ad loca, in quibus DEUS tentare dicitur, responsio est facilis;  
Ten-



Tentatio enim DEO non tribuitur eô modô, quo ignorantiam importat in eô, qui dicitur tentare, neque hoc probavit Crellius, sed, ut bene observat August. *quest. 57. in Gen.* Tô tentare DEI nihil aliud est, quàm probare, & hominem externè examini subicere; & ita facere, ut id, quod latitat in corde, & nobis innotescat & aliis. Res potest simili declarari: sit præceptor, cui exigui profectus discipuli sint notissimi, hic tentare dicitur discipulum, non quasi ignoret profectus, sed ut partim ipse discipulus, cui forte majores, quam sunt, videntur, partim alii profectus istos deprehendant. Ex his patet, Photinianos in illis locis, in quibus DEUS tentare dicitur, nihil invenire, quo probare queant denegandam esse futurorum conting. præscientiam. vid. Joh. Hoornbeck. l. c.

C A P. X.

*In quò agitur de questione, An futura contingentia cognoscantur à DEO per præsentiam in æternitate.*

Con-

## I.

**C**ONsideravimus hactenus argumen-  
 ta Photinianorum, & vidimus ea ni-  
 hil planè roboris habere, quò destrui  
 possit DEi præscientia futur. contin-  
 gentium. Progredimur iam ad secun-  
 dum, quod supra nobis proposuimus,  
 visuri, an F. C. per præsentiam in æter-  
 nitate cognoscantur: *Ferrariensis lib. 1.*  
*contra Gentil. c. 66. §. secundum dub:*  
 monet, quod dupliciter intelligi possit  
 non entia (futura) esse præsentia DEO  
 in æternitate 1. *secundum realem coexi-*  
*stentiam eorum ad DEum: 2. secundum esse*  
*cognitum, & objectivum tantum.* His  
 præmissis, dicit, omnia tam præterita  
 & futura, quam præsentia DEO in æter-  
 nitate esse præsentia, ita ut illi reali-  
 ter coexistent in æternitate, & hanc di-  
 cit esse mentem Thomæ. Verùm an  
 Thomæ mens sit, quam *Ferrariensis* ei  
 tribuit, merito dubitatur: *lib. 1. enim*  
*contra Gent. c. 6.* probat, DEum co-  
 gnoscere futura contingentia ex causa  
 contingente completa, si non impedia-  
 tur, & sic cognoscere certò effectū con-  
 tingentē, nullâ mentione factâ præsen-  
 tiæ

in æternitate. Videatur *Lud. Molina*  
*p.1.q.14. a.13. disp. 14.* Mens Ferrariensis  
huc redit: Quia æternitas tota est si-  
mul, nec in plures dividitur partes,  
quarum una sit præterita, altera futu-  
ra, sed se habet ut quoddam nunc; in-  
super etiam ad quodlibet tempus men-  
surans esse rei temporalis se habet, ut  
mensura communis ad propriam, a-  
deo, ut in ipsâ omnes temporis diffe-  
rentiæ contineantur tanquam in men-  
surâ excedente, ideò omne quod sub  
aliqua temporis differentiâ continetur  
sive sit præsens tempus, sive præteri-  
tum, sive futurum etiam sub æternita-  
te continetur, tanquam sub mensura  
excedente, (sicut id, quod est in vase,  
à cœlo etiam continetur) adeoque est  
in æternitate, & ab ea mensuratur.  
Hâc ratione dicuntur etiam futura DEO  
coexistere in æternitate quatenus ea-  
dem, quâ Deus, mensurantur duratio-  
ne, nempe æternitate, ita tamen, ut æ-  
ternitas in ordine ad DEUM adæquata:  
in ordine verò ad res futuras inada-  
quata & excedens sit mensura.

II. Duo sunt, quæ in hac sententia  
da-

158 *Cap. X. In quo agitur de questione,*  
damnamus. 1. quod dicitur, futura  
DEO coexistere in æternitate. 2. quod  
asseritur, æternitatem vel præsentiam in  
æternitate DEO esse rationem cogno-  
scendi futura. Primum quod attinet,  
imprimis attendendum esse puto,  
quid sit coexistere. Sicut autem exi-  
stere nihil aliud est quam esse extra cau-  
sas, sive non esse nihil: ita coexistere  
est, simul cum alio esse extra causas,  
& non esse nihil. Ex quo patet, quod  
coexistentia præsupponat existentiam,  
ita quidem, ut hac sublata, tollatur &  
illa. Quod enim in se non existit,  
quomodo cum alio simul existere, seu  
coexistere potest? Hisce ita se haben-  
tibus non video, quomodo futura  
contingentia in æternitate DEO coexi-  
stere possint, cum in se nondum exi-  
stant. Dicat quis: res futuras existere  
in æternitate tanquam mensura exce-  
dente, licet nondum existant in men-  
sura propria nempe aliqua temporis  
differentia. Et sanè hoc non videtur  
displicere Cajetano, dum inquit, quod  
est sub aliena mensura, potest noviter  
pro-

produci in propria mensura: verum absurda plane est talis sententia, quod ostendo h. m. Si res futura existit in æternitate, sequitur, quod in temporis aliquâ differentia tanquam in propria mensura non possit produci: consequens est absurdum, repugnat enim aliquid esse futurum, & tamen produci non posse, E. & antecedens. Consequentia firma est. Si enim res jam existit, sequitur quod sit extra causas, si est extra causas, non amplius latet in virtute causarum, nec virtute earum potest produci. Repugnat enim rem esse extra causas, & tamen in virtute causarum latere, cum hoc ipsum nihil aliud sit, quàm esse extra causas & non esse extra causas.

III. Quod verò dicit Ferrariensis, æternitatem complecti omne tempus, & sic etiam futurum, hoc non probatur, res futuras æternitati coexistere: sicut enim res futuræ existentiam nondum habent: ita æternitas ipsis eam non tribuit; multò minus coexistentiam ipsis confert. Unde hoc saltem sequi.

160 *Cap. X. In quo agitur de questione,*  
sequitur, quia æternitas omne tempus  
complectitur, ideo omnes res, quo-  
cunque tempore existant, æternitati  
coexistunt. Patet igitur commodè  
dici non posse, res futuras vel æterni-  
tati vel ipsi DEO coexistere. Hoc au-  
tem cadente, cadit & alterum, quod  
scil. præsentia futurorum in æternita-  
te sit ratio cognoscendi futura. Imò  
si vel maximè essent præsentia in æter-  
nitate, ei que & DEO coexisterent, hæc  
tamen præsentia & coexistentia non  
esset ratio ea cognoscendi: proxima  
enim ratio, sub qua cognoscuntur, est,  
quia determinate & certò sunt futura:  
neque apparet, quomodo sub ratione  
præsentia in æternitate aut coexisten-  
tia cognosci possint tanquam futura,  
cum sub ea ratione cognoscantur vel  
ut præsentia vel ut coexistentia. Unde  
quidam Thomistarum tandem faten-  
tur, quod talis F. C. præsentia in æter-  
nitate ad hoc, ut ipsa certò à DEO co-  
gnoscantur, non requiratur sed saltem  
ad hoc, ut cognitio DEI circa F. C. sit in-  
tuitiva, quam non nisi circa rem præ-  
sent.

*An scientia visionis sit causa rerum &c.* 161

sentem dari posse persuasum sibi habent. Verum an ad intuitivam cognitionem requiratur, ut objectum eius semper sit realiter praesens, sunt, qui dubitant, & sufficere arbitrantur ad intuitivam cognitionem, si sit propria & quidditativa rei sive existentis & praesentis sive non existentis nec praesentis cognitio, ut docet *Vazquez. Tom. 2. disp. 134. c. 3. §. 8.*

CAPUT. XI.

*In quo tractatur questio, An Scientia visionis sit causa rerum & inprimis actionum humanarum, ita, ut harum libertatem tollat?*

I.

SEquitur tertium, quod supra promissimus, an nempe scientia visionis sit causa rerum, & inprimis actionum humanarum, ita ut harum libertatem tollat? Questio haec frequentius à Calvinianis movetur, ex quibus jam nomino *Hieron: Zanchium lib. 3. de natura DEI c. 2. q. 15. & quest. prac. 14.*

L

Span-

162 CAPUT XI. In quò tractatur questio,  
*Spanhemium dub. Evangel. p. 1. dub.*  
*33. Wendelin: Christ: Theol: system:*  
*Maj. lib: 1. th. 17. §. 9.* Hi Autores præ-  
scientiam DEI dupliciter spectari posse  
docent: 1. præcisè & sine voluntate seu  
decreto divino, quatenus est tantùm  
*sewenn*, ut *Zanchius* loquitur. 2. qua-  
tenus conjungitur & simul sumitur  
cum voluntate seu decreto. Priori  
modò si consideratur DEI præscientia,  
uno ore negant, eam vel rerum cau-  
sam esse, vel libertatem hominis læ-  
dere, quâ in re nos facilè habent assen-  
tientes. Posteriori autem modò una-  
nimiter contendunt, præscientiam  
DEI esse rerum causam, quamvis ne-  
gent, eam libertatem hominis tollere,  
quâ mente & quo successu; mox vi-  
debimus.

II. *Zanchii* verba l. c. q. 15. ita  
habent: *Esto opifex architectus, qui va-*  
*rias edium, quæ à se fieri possunt, formas*  
*in sua conceperit mente: Deinde verò*  
*voluntate statuerit omissis aliis formis*  
*unam executioni mandare, & ita etiam*  
*reip, a mandet. Hinc apparet conceptio-*  
*ne ne*



An scientia visionis sit causa rerum &c. 163  
nem adium causam esse, cur postea ædifi-  
centur, non simpliciter, sed per volunta-  
tem. Nisi enim voluntate decrevisset  
domum juxta hanc formam ædificare,  
nunquam ædificasset, & ita sola adium  
conceptio & scientia causa non fuisset æ-  
dium ædificatarum: adium igitur ædifica-  
tarum causam esse non solam præscienti-  
am, sed hanc cum voluntate, manifestum  
est. Ita DEUS, licet apud ipsum non sit  
prius & posterius, tamen ordine nature  
per suam essentiam prævidit, quæcunque  
à se fieri possent, eaque infinita. Horum  
quædam suâ voluntate statuit creare, gu-  
bernare, regere, reliqua omnia omitte-  
re: sic itaque præscientia rerum omnium  
per voluntatem fuit ad certa quædam re-  
rum genera quodammodo definita: ac  
proinde præscientia hæc per voluntatem  
causa est rerum omnium, quæ sunt & fi-  
unt. Quest. 14. Si accipias præscientiam  
DEI, quatenus cum voluntate DEI con-  
juncta est, omnia respectu immutabilis  
DEI voluntatis fiunt necessario. DEUS  
enim omnia ad certos fines certosq; usus  
destinavit, neq; quidquam sit aut aliter  
L 2 fieri

164 CAPUT XI. In quò tractatur questio,  
fieri potest, quàm DEUS ordinavit & de-  
stinavit, ut fiat. Imò omnia ipse agit &  
movet pro sua æterna voluntate: ita ut  
ne capillus quidem cadere possit de capite  
nostro citra Patris voluntatem. Quæ  
autem ita fiunt, ut non possint aliter fie-  
ri, necessario fiunt. Hoc igitur modo fa-  
temur, præscientiam DEI cum volunta-  
te divina conjunctam causam esse, ut res  
non aliter possint fieri, quàm fiant, & ita  
omnia fieri necessario &c.

III. Cæterum ibidem ait: Præscien-  
tia hæc DEI non talem imponit rebus ne-  
cessitatem, ut rerum ordinem turbet &  
eas dissipet. Movet enim & agit omnia  
quidem ex suo æterno decreto & præsci-  
entia, sed juxta suam quodq; naturam &c.  
Ibid: Si spectes causam primam, DEI scil.  
præscientiam ac voluntatem, æternum  
& immutabile decretum & ordinem re-  
bus omnibus præfinitum, omnia fiunt ne-  
cessario, necessitate infallibilitatis. Hoc  
modo concedo, necessitatem rebus à DEI  
præscientia imponi, imò impositam esse  
ante mundi constitutionem. Sed si cau-  
sas suâ natura indefinitas consideremus,  
nulla

*nulla est ipsis absoluta necessitas imposita, quando suapte naturâ maneant indefinite, & quæ ex illis sequuntur effecta, verè sint contingentia. Etsi enim DEUS, quæ in utramque partem propendent indefinitæ cause, eas ad unum inclinât, hoc tamen non efficit, naturas causarum dissipando, mutando & vim ullam illis faciendo. Sed hoc ea efficit ratione, quæ tali naturæ conveniat. Hæc Zanchius.*

IV. Quod præscientiam divinam priori modo spectatam attinet, non est cur assensum denegeamus Calvinianis, fatemur enim præscientiam DEI in se spectatam & sine decreto, nullam rebus adferre necessitatem. Verùm de hoc in præsentia non est quæstio, sed de præscientia, quatenus ea cum voluntate vel decreto divino conjungitur, de quâ duo ostendere nititur Zanchius 1. quod sit causa rerum. 2. quod rebus imponat necessitatem, ut non possint non fieri, quamvis illud non fieri putet vim aliquam rerum causis inferendo. Verùm in ipso limine impingit Zanchius, ostensurus enim, quomodo præscientia

DEI, de qua formaverat quæstionem, sit causa rerum, *qv. 15.* adfert scientiam simplicis notitiæ, cum tamen in controversiam ea hîc non veniat, testante ipso *Spanhemio l. c.* dum sermonem hîc esse, inquit, non de scientia simplicis notitiæ, quam vocant Scholastici, quâ DEUS novit possibilea, &c. sed de scientia visionis (quæ præscientia aliàs dicitur) quâ DEUS intuetur τὰ ἐσόμμενα. At *Zanchius, de Scientiâ q. 15.* loquitur quâ DEUS cognoscit, quæ fieri possunt sive quæ sunt possibilea, ut ex verbis adductis patet: at verò hæc non est præscientia, sed saltem simplicis notitiæ.

V. In quæstione 14. propius videtur ad rem accedere, dum ipsam DEI præscientiam adducit, eamque quatenus cum voluntate conjungitur, rerum esse causam, & per consequens iisdem necessitatem imponere, asserit. Ut autem constet, quid de hac sententia Calvinianorum sentiendum sit, notandum est, 1. quòd per voluntatem h. l. intelligant nihil aliud, quàm decretum divinum, cum quo conjungi dicunt scientiam  
divi.

divinam. 2. observ. quod de duplici decreto h. l. sermo esse possit, cum dicunt Calviniani, scientiam DEI cum decreto conjungi & esse causam rerum, 1. intelligi potest decretum, quod præscientiam DEI antecedit 2. decretum, quod eandem sequitur. Nam licet à parte rei inter scientiam aut decreta nulla detur prioritas aut posterioritas, potest tamen ea propter diversa connotata à nobis concipi in essentia divina. Unde (quòd ex superioribus notum est) in ordine ad res possibles, prout illæ scibiles sunt, si sumitur essentia DEI, dicitur scientia simplicis notitiæ: Post hanc scientiam concipimus in DEO decretum, quod secum statuerit ex omnibus possibilibus producere hæc vel illa. Quia autem hæc ipsa, quæ DEUS statuit è possibilibus producere, DEUM latere non possunt, & verò sub ratione possibilium jam non amplius spectantur, sed ut futura, ideò, quia alia in objecto formalitas datur, nempe (ut barbarè loquar) futuritio, alia sciëntia circa eadem sub hac ratione considerata versatur, nem-

nempe Scientia visionis sive præscientia. Hanc scientiam aliud sequitur decretum: quia enim res illæ, quas DEUS ab æterno decrevit in tempore producere, in tempore quoq; sunt oporturæ, ideo DEUS decrevit cum reb9 illis ad actiones concurrere, vel saltem eas non impedire. De quocunq; decreto loquitur Zanchius, & per illud præscientiam dicat esse causam rerum, nihil obtinet.

VI. Quod igitur decretum illud attingit, quod antecedit præscientiam DEI, si vel maximè largiamur illud esse causam rerum futurarum, dici tamen nequit, quod præscientia conjuncta cum illo decreto antecedente sit rerum futurarum causa, ratio, quia præscientia rebus, ut futuræ sunt, est posterior: Prius enim res sunt futuræ, quàm à DEO præsciuntur. Vult autem Zanchius, non decretum seorsim acceptum, sed scientiam ipsam per voluntatem sive decretum esse rerum causam. Imò decretum antecedens præscientiam promovet potius libertatem hominis, per illud enim decretum DE9 vult

vult hominem producere, per hoc ipsum autem fit, ut quando homo producit, libertas se exerat. Vid. *B. Slev. d. 3. de indiff.* Neque quicquam obtinet Zanchius si loquitur de posteriori decreto aut scientia DEI sumtâ cum decreto, quod præscientiam DEI sequitur, quô DEUS decrevit cum rebus futuris concurrere ad actiones. Hoc decretum enim concernit concursum DEI generalem qui sicut libertatem hominis non tollit aut lædit: ita nec decretum de illo concursu sufflaminare potest hominis in agendo libertatem. Quod autem concursus DEI generalis aut decretum de illo nullam actionibus hominis adferat necessitatem, ostendi potest, si consideretur 1. quod concursus DEI à parte rei sit ipsa actio voluntatis seu ab eâ realiter non differat. 2. quod actio voluntatis sit posterior determinatione voluntatis humanæ; Prius sicut probatione forsitan non indiget, cum constans id approbet Philosophorum sententia: ita posterius quoque evidens esse videtur. Prius

L 5

enim

enim concipitur voluntas se determinare ad actionem: postea verò elicere ipsam actionem: quibus addi potest 3. quod si concursus Dei aliquam hominis voluntati aut actionibus eius adfert necessitatem, hoc fiat per determinationem, quatenus voluntatem determinat ad alteram contradictionis vel contrarietatis partem, ut oppositum agere nequeat. Si igitur actio voluntatis est posterior determinatione ejusdem, & verò cum voluntatis actione à parte rei idem plane est concursus DEI, sequitur, quod concursus DEI quoque sit posterior determinatione voluntatis. Ergo concursus DEI non determinat voluntatem ad alterum oppositorum, nec ejus in agendo libertatem lædit, cum, ut dictum, determinatio voluntatis facta esse concipiatur ante concursum DEI.

VIII. His ita se habentibus luce meridiana clarius est, quod decretum de concursu divino non lædat libertatem voluntatis humanæ, cum enim versetur circa id, quod determinatione volun-

lunta.



luntatis est posterius, concursus scilicet divinus, quomodo libertati hominis adferretur, aut ullam in agendo necessitatem homini adferat, non video. Nec est, quod quis dicat, de scientia quatenus cum decreto conjungitur, non verò de solo decreto hic sermonem esse, nam & de scientia ostensum fuit, quod posterior sit re ut futura, v. g. actione hominis, quâ ratione igitur cum voluntate aut decreto conjuncta aliquam homini adferret necessitatem: Huc accedit, quod si decretum DEI aut scientia per illud homini in agendo necessitatem imponit, homo necessario peccet, ut non possit non peccare, cui igitur imputandum erit peccatum? An non soli DEO, ceu in superioribus ostensum fuit?

IIIX. Conatur quidem Zanchius ea, quæ dixit, emollire, dum (1.) *DEUM unum quodq;* & sic etiam voluntatem hominis movere dicit iuxta naturam suam l. c. 4. q. 14. (2.) libr. 3. c. 4. q. 4. th. 5. dicit v. g. in peccato duo esse consideranda & à se invicem distinguenda. Primum

mum est *ipsa actio* (vocatur aliàs ma-  
 teriale,) alterum est *deformitas* (quæ ali-  
 às dici solet formale) Docet igitur Zan-  
 chius actionem ipsam sive materiale  
 fieri DEO volente, imò etiam agente,  
 licet deformitas à DEO non procedat.  
 Quamvis igitur DEUS moveat homi-  
 nem ad actionem, non tamen movet  
 ad deformitatem, in qua formaliter  
 peccatum consistit. E. stante ista mo-  
 tione, nondum poterit DEO imputari  
 peccatum. 3. *non movet violenter tra-*  
*hendo, sed suaviter flectendo,* ut loqui-  
 tur *Zanchius lib. 3. c. 2. q. 14. E.* Salva  
 manet libertas, dum homo stante mo-  
 tione divina, sponte & non coactè a-  
 git. Verùm nihil proficit Zanchi-  
 us. Quod igitur primum attinet,  
 quod ait, Deum unumquodque mo-  
 vere juxta naturam suam, id ambigu-  
 um est, & potest dupliciter intelligi i.  
 h. m. quod, sicut voluntatis ea est ratio  
 & natura, ut positus omnibus ad agen-  
 dum requisitis & eodem modo se ha-  
 bentibus possit agere & non agere, a-  
 gere hoc & illud: ita retineat hanc na-  
 turam,

turam,

turam, quando à Deo movetur ad hunc vel illum actum, ut posita motione divinâ, adhuc in potestate voluntaris sit elicere & non elicere actum illum, ad quem movetur. 2. Unumquodque & imprimis voluntatem hominis (de hac enim potissima hic controversia est) moveri juxta suam naturam, ita intelligi potest, quod, licet à Deo voluntas moveatur determinatè ad hunc actum, adeò, ut stante motione divina, in voluntatis potestate non sit, eum non elicere, maneat tamen natura voluntatis in hoc consistens, quod ipsa voluntas elicit illum actum. Si priori modò verba sua intelligit Zanchius, sibi ipsi adversatur, dum docet, illam motionem Dei rebus adferre necessitatem. Nam si Deus ita res & consequenter etiam voluntatem movet ut maneat natura, & possit, stante motione divinâ actionem elicere & non elicere, actio non sit necessariò, quod tamen vult Zanchius. Imò si h. m. Deus movet hominem vel voluntatem hominis ad actum peccaminosum sive  
cui

cui deformitas adhæret, utut motio fiat juxta naturam voluntatis humanæ priori modò, non apparet, quomodo DEUS à peccato possit excusari. Sicut enim non EVÆ tantùm, quæ movebatur à Diabolo & liberè consentiebat, sed & ipsi Diabolo moventi peccatum imputabatur: ita etiam stante motione divinâ juxta cujusvis rei essentiam priori modo spectata, non homini tantùm, sed & DEO imputandum erit peccatum ab homine commissum, quod impium.

IX. Si verò posteriori modò Zan-  
chii verba sunt intelligenda, quod scil.  
DEUS moveat res & consequenter e-  
tiam voluntatem hominis juxta natu-  
ram suam, ut scil. maneat hæc volunta-  
tis natura, quod ipsa ex se elicit actum,  
quem tamen non potest non elicere ob  
divinam motionem, sequitur actum  
vitiosum homini qui eum elicit, im-  
putari non posse, ratio est, quia tali in  
casu homo aliter se non habet, quàm  
causa naturalis, quæ ad aliquid agen-  
dum movetur à causa libera, ut equus  
à ses-

à sefforex at verò quis equo, cum damnum alicui infert, ad quod ab equite movetur, damnum imputare solet? nemo sanè equum, equitem verò quis accusat, cum equus ex motione sefforis non potuerit non facere id, ad quod movebatur ab equite, eques autem sua libertate id fecit. Sic si DEUS ita movet hominem ejusque voluntatem, ut homo quidem ex se eliciat actum vitiosum, stante autem motione non possit non eum elicere, nemo poterit peccatum imputare homini, sed culpa redibit in DEUM, qui hominem ita movit, ut aliter agere non potuerit. Elegans est, quod hâc de re scribit *Clem. Alexandrinus I. Strom.* dum *Nec laudes, inquit, nec vituperationes, nec honores, nec supplicia justa sunt, si anima non habet liberam potestatem & appetendi & aggrediendi.*

X. Nec est, quod quis dicat Zanchium loqui de actu præcisè & sine deformitate, ut velle videtur *lib. 3. c. 4. q. 4. th. 5.* Repugnant enim verba, quæ habet *lib. 5. de Nat. DEI c. 2. p. 3. de reprobatio.*

176. *Cap. XI. In quò tractatur questio,  
batione q. 2. th. 4. & 6. ubi ait, DEUM  
reprobos ad hanc conditionem distinâsse,  
ut non queant non facere ex suâ naturâ,  
h. e. varia admittere scelera. It. ad pec-  
catum, ut peccatū reprobī fuerunt præor-  
dinati. Licet enim quædā addat, illa ta-  
men huc nihil faciunt. Res autē est ma-  
fenista; quod statuat, DEUM determi-  
nasse hominos ad peccatum, ut tale est.  
Stante autē hoc, non potest non sequi,  
quod supra diximus, DEO scil. pec-  
catum esse imputandum, ad quod piæ  
aures non possunt non exhorrescere.  
Imò fieri non potest, ut DEUS necessi-  
tatem imponat causæ alicui secundæ  
ad actum aliquem eliciendum, qui  
peccatum est, ut tamen exinde non se-  
quatur vel absurdum, vel aliquid, quod  
ipsis Calvin. aduersetur: aut enim cum  
actū illō deformitas cohæret necessa-  
riò, aut contingenter: Si necessariò, fie-  
ri non potest, ut DEUS necessitatem im-  
ponat voluntati ad actum, ut non simul  
determinet eandem ad deformitatem  
quod absurdum: Si contingenter, vo-  
luntas seipsam determinat ad illam de-*

deformitatem vel liberè vel ex intrinsecâ necessitate. Si liberè, cadit, quod volunt Calviniani, voluntatem sc. liberam non esse à necessitate: si ex intrinseca necessitate, cadit, quod Zanchius supra docuit, omnia fieri necessario ex motione divinâ.

XI. Quod tertium attinet, quod ait Zanchius, DEUM ideò motione suâ non tollere hominis in agendo libertatem, quia non movet violenter, sed ita, ut stante motione Dei, spontè & non coactè agat: quivis videt, Zanchium ludere vocabulis, ut pueri trochis. Libertatem enim sumit pro ea, quâ quid liberum dicitur à coactione, quæ non sufficit ad hoc, ut homo absolutè dicatur agens liberum, cùm sic bruta quoque essent agentia libera, quia agunt sine coactione & spontè, nisi admittere quis velit, hominem non magis esse liberum in agendo, quàm brutum, & consequenter, dum benè vel male agit, non magis laudandum vel vituperandum esse, quàm brutum, quæ omnia absurdissima. Vid. *B. Slevogt. disp. 2. de in diff. Vol. hum.*

M

XII.

XII. Verùm dubitationum nondum est finis. Nam l. 3. c. 2. q. 14. Zanchius ait: *Annon aliquis Orator (ut Cicero) sua oratione ita persuadebit alicui, puta Casari, quod vult, ut Casar, qui ad utrumq; erat indefinitus, postea ad unum se definiat? Num propterea Orator sua efficaci oratione liberam Casaris, cui persuasit, naturam sustulit? aut absolutam illi necessitatem sic & sic agendi intulit? minimè verò &c. Quanto minus igitur potest dici Deus suâ præscientiâ necessitatem rebus imponere, tametsi omninò constituit illas, quocunq; velit inclinare &c.* Ex hisce neci potest tale argumentum: Si Orator oratione suâ ei, cui persuadeat, nullam inducit necessitatem, sequitur, quod nec DEUS motione suâ rebus adferat necessitatem. Antecedens est verum. E. Consequens. Verùm i. negamus consequentiam in hoc Zanchii argumento. Nam in antecedente sermo est tantùm de motione morali, quando scil. Orator argumentis speciosis rei singularem conciliare novit splendorem, adeò ut rei bonitate ex

ver.



verbis Oratoris cognitâ voluntas eam appetat, & alter id, quod ab Oratore mirum in modum commendatum fuit, faciat: at verò talis non est motio, quam Zanchius DEO tribuit in præcedentibus, dicit enim DEUM omnia ad certos fines certosque usus destinâsse, nec quidquam fieri aut aliter fieri posse, quàm DEUS ordinavit ac destinavit. Ubi sanè intelligere non potest motionem moralem, cum motio, quam Zanchius docet respiciat etiam res sine appetitu propriè dictô agentes, quibus, an motio moralis competat, judicent eruditi. At verò quæ ratio argumentandi à motione morali ad physicam vel quocunque alio nomine veniat altera? 2. Ponamus, majorem hujus argumenti propositionem esse bonam, exinde deduci potest, DEUM voluntate ac motione sua nullam homini adferre necessitatem, sed eum in libertate sua relinquere ita, ut, quod ab eo fit, aliter fieri possit, seu ei relinquere nō tantum libertatem à coactione, sed etiam à necessitate, secus ac docet Zanchius l. c.

M 2

Nam

Nam si motionem Oratoris comparat cum motione, quam tribuit DEO, aut hanc cum illâ, sequitur, quod, sicut Orator non tollit libertatem à necessitate: ita etiam DEUS libertatem à necessitate non tollat, quod adversatur Zanchio, qui non semel docet, actiones hominis (propter motionem & voluntatem DEI) necessariò fieri, quamvis relinquatur libertas à coactione.

## CAPUT XII.

*De Scientia DEI mediâ, & in specie, de modò, quò DEUS ea, quæ sub conditione futura sunt, cognoscit.*

## I.

**R**estat, ut consideremus Mediam DEI scientiam. Hic veròlis est de nomine, an rectè dicatur hæc Sciëntia MEDIA, sive an à Sciëntia naturali & visionis sit distincta? Pro negativa pugnant Gregor. de Valentiâ, Vazquez, Bellarm. & Alph.

Alph. Salmero, qui scientiam, quam vocamus mediam, ad scientiam simplicis intelligentiæ referunt, ubi tamen notandum, quod, stante hâc scientiâ, ampliatur acceptio scientiæ naturalis, si enim eô, quô supra explicavimus, modo, accipitur, ultrò patet, futura conditionata quatenus talia sub eam non cadere. Unde rectius alii hanc Scientiam circa fut. conditionata distinguunt à Scientiâ naturali & visionis

II. Quia autem inter eos, qui mediam hanc scientiam admittunt, controversia est de modo, quô DEUS futura conditionata præscit, ideò videndum, quinam modus sit optimus & maximè DEO conveniens; *Alvarez. lib. 2. de Auxil. disp. 7. n. 8.* concedit, DEUM cognoscere aliqua futura conditionata, quæ re ipsa etiam nunquam existent; sed docet, præcedere hanc cognitionem (saltem quoad nostrum concipiendi modum) decretum aliquod conditionatum, in quo putat DEUM cognoscere futurum conditionatum: illustratur

M 3 tur

tur res exemplô: *Matth. XI. v. 21.* dicit Salvator: *Si in urbe Tyri & Sidonis facta fuissent virtutes, quæ facta sunt in vobis, olim in sacco & cinere pœnitentiam egissent.* Hanc Tyriorum & Sidoniorum pœnitentiam, quæ sub conditione futura fuit, cognovit DEUS, sed juxta sententiam Alvarez, in decreto, quod præcessit hanc scientiam, conditionatô, quod ex mente ejus tale fuit: *Si ego decrevissem, ut talia signa & virtutes fierent in Tyro & Sidone, ego efficaciter facerem, ut Tyri & Sidonii crederent.* In hoc decreto conditionato, inquit Alvarez, cognovit DEUS, si in Tyro & Sidone factæ fuissent tales virtutes, Tyrios & Sidonios egisse pœnitentiam.

III. Aliis placet, DEUM ante futurorum conditionatorum scientiam habere decretum ex parte suâ absolutum & efficax, licet conditionatum sit ex parte ejus v. g. hominis, cum quo concurrat: Alii absoluti tantum decreti mentionem faciunt, ita tamen, ut illud præsupponatur saltim, cum juxta eos futu-

*Et in specie, de modò, quò DEUS ea, &c. 183*

futurum neque absolutum neque conditionatum possit esse determinatè futurum, & consequenter ut futurum cognoscibile sine tali decretò, licet DEI cognitio ad illud decretum non terminetur, sed ad ipsa futura conditionata, &c. Ita Tvvissus *l. 2. de scientia fut. condit. c. 1.* & alibi. Ita & alii sentiunt de qua sententia quid sentiendum, vid: infra.

VI. His ex opposito adversantur, qui putant DEUM cognoscere futura conditionata sine omni decreto præcedente, quæ sententia etiam verissima est. Nobis igitur, qui posteriorem hanc sententiam defendimus, duo contra allatas opiniones ostendenda incumbunt: 1. quòd futura conditionata à DEO cognosci possint & cognoscantur sine prævio decreto, seu ut ad illam cognitionem nihil conferat decretum præcedens. 2. quod decreta, quorum modò facta fuit mentio, sint conficta. Ut prius ostendamus, quædam præmittenda esse videntur. 1. Sicut propositio-

M. 4                      eto;

Etō; ita & propositionum de futurō  
 conditionatō altera est determinatē  
 vera, altera falsa. 2. Ex propositionibus,  
 quarum determinata est veritas, inferri  
 potest determinatum esse, quod in pro-  
 positionibus rei tribuitur. 3. intellectus  
 divinus est infinitus. Primum non po-  
 test non admitti, & suprâ vidimus pro-  
 opposita sententiâ confirmandâ nihil  
 solidi adferri posse. Quod si igitur ista  
 v. g. Petrus evadet doctus, determinatē  
 est vera, cur non determinatē erit vera,  
 si conditio additur: Petrus evadet do-  
 ctus, si sedulam literis dat operam. Si  
 hæc determinatē est vera, id quod fu-  
 turum est sub conditione erit determi-  
 natē futurum, quamvis sub conditione,  
 si enim propositio determinatē vera  
 rem dicit esse determinatē futuram,  
 quamvis cum conditione, rem ipsam  
 sub conditione futuram esse necesse  
 est, aliàs enim propositio non esset ve-  
 ra: & hoc secundum erat, quod præ-  
 supposebatur: tertium, intellectum  
 scil. divinum esse infinitum & ad o-  
 mne intelligibile se extendere, negare  
 pot.



tionata sine ullo decreto posse à DEO cognosci h. m. Quicquid habet esse determinatum, illud in se & sine alio potest à DEO cognosci. Atqui futura conditionata habent esse determinatum (quamvis sub conditione) E. futura conditionata in se & sine aliô à DEO possunt cognosci. Major patet, quia ex esse determinato fluit esse intelligibile, ut scil. id, quod determinatum esse habet, sui cognitionem in intellectu terminare possit. Quod autem à DEO talis res esse determinatum habens, cognosci possit, probatur ex infinitate intellectus divini, quem nullum planè intelligibile subterfugere potest. Minorem probamus ex eis, quæ supra præsupposuimus, quia enim propositiones de futuris conting. & conditionatis determinatam habent veritatem & determinatè rem futuram esse dicunt, ultrò sequitur, quod futura ipsa sint determinatè futura & esse determinatum sive determinatè futurum habeant, aliàs enim, ut supra dictum, Propositiones

posi.



positio, quæ rem determinatè & cettò futuram esse dicit, non esset vera.

VI. Ostenso jam futura conditionata in se cognosci posse à Deo, sine præcedente decretò, sive ut non opus sit ea in decreto aliquo præcedente cognoscere, nec ad eorum cognitionem quicquam faciat decretum, id quod supra promissum, hic præstandum & ostendendum est, quod decreta, in quibus futura conditionata cognosci dicuntur, sint conficta & planè nulla. Quod igitur attinet decretum, quod sibi fingit Alvarez, propositio illa, in qua conditionatum Dei decretum proponit Alvarez, dupliciter potest intelligi. 1. h. m. si ego decrevissem, ut talia signa & virtutes fierent apud Tyrios & Sidonios, efficaciter facerem ut crederent, sine tamen libertatis læsione. 2. h. m. si ego decrevissem, ut talia signa & virtutes fierent apud Tyrios & Sidonios, efficaciter facerem, ut crederent, ita ut determinarentur ad unum oppositorum & cum necessitate quadam agerent. Si priori sensu accipitur propositio.

posi.

positio allata, ut decretum de quo loquitur propositio, non ademerit Tyriis libertatem, sed ita se habuerit, ut eò positò adhuc fieri potuerit, ut converterentur, & non converterentur, DEUS in tali decreto non potuit cognoscere conversionem & pœnitentiam Tyriorum, quia ea nec formaliter nec virtualiter in tali decreto contenta & repræsentata fuit, imò ne quidem ex tali decreto colligi potuit, Tyrios & Sidonios pœnitentiam acturos fuisse, cùm stante tali decretò adhuc indifferentes & indeterminati fuerint, cum nullam determinationem ipsis attulerit hujusmodi decretum. Dicis: Licet, aliquid sit indifferens, hòc non obstante potest cognosci ut determinatè futurum, ut ex superioribus patet. Resp. Etiam de his conditionatis futuris idem asserimus. Sed h. l. quæstio est, an si spectantur ratione decreti conditionati, respectu cujus sunt indifferentia, possint cognosci, quod negamus, quia catenus nondum habere concipiuntur determinationem. Si posteri-

or

or sensus attenditur, sequitur decretum Dei imponere hominibus necessitatem, ut non possint non converti, quod falsum, ut Theologi ostendunt: imò si tale decretum adimeret homini libertatem, ut necessario stante tali decreto aliquid fieret, necessario conversi fuissent Tyrii & Sidonii, quod falsum; Tale igitur decretum Dei non datur, & consequenter in eo Deus non potest cognoscere futura contingentia conditionata.

VII. Quod attinet eorum sententiam, qui DEUM cognoscere dicunt futura conditionata in decreto absolutò ex parte Dei, conditionatò verò ex parte eorum, cum quibus Deus vel vult concurrere, vel in quibus vult operari, illa non videtur carere absurditate, & si penitus paulò consideretur, quomodo Patroni ejus cōtradictionē effugere queant, non video. Nam decretū illud, quod ex parte ejus v. g. hominis, cū quò DEUS vel vult concurrere, vel in quo vult operari, est condicionatū sine dubio est decretum, ut hoc vel illud ab  
ho-

homine vel in homine fiat, at verò decretum ut hoc vel illud ab homine vel in homine fiat, esse conditionatum, h. e. non esse, nisi positâ conditione aliquâ, & decretum, ut Deus idem, quod in homine vel ab homine fit, agat, esse absolutum, simul stare nequeunt, cum aliquid à DEO fieri, & DEUM aliquid agere à parte rei sint unum & idem. Eò ipsô igitur, quô DEUS cum conditione decernit ut in homine, vel ab homine aliquid fiat, cum conditione etiam decernit seu vult agere, ob rationem jam adductam, & consequenter si decretum est conditionatum ex parte ejus, cum quo DEUS concurrit, vel in quô operatur, erit etiam conditionatum ex parte ipsius Dei, ut hoc vel illud agat, nisi quis dicere velit, idem decretum respectu ejusdem esse cum conditione & non esse cum conditione, quæ contradictio, ut spero, satis est manifesta.

IIIX. Porrò si DEUS id, quod cum conditione futurum est, non nisi in decreto, quod ex parte Dei absolutum,

CX

*Et in specie, de modo, quo DEUS ea, &c.* 191

ex parte ejus autem, cum quo DEUS  
concurrit, conditionatum est, cogno-  
scit, sequitur, quod, quando malum  
aliquod sub conditione futurum co-  
gnoscat, prius formet absolutum ali-  
quod ex parte sua de malo illo, vel de  
voluntate hominis ad malum istud de-  
terminanda decretum, ut in illo ma-  
lum, istud sub conditione futurum co-  
gnoscat, quod sanè impium est. Re-  
spondent sententiæ hujus Patroni, ab-  
surdum non esse, Deum facere decre-  
tum de determinanda voluntate ad ma-  
lum, non tamen ad malum formaliter,  
sed saltim materialiter: hoc nimirum  
volunt, Deum decretum facere de vo-  
luntate hominis determinanda ad i-  
psium actum, ut est actus, non tamen  
ad ipsam deformitatem. Verùm ne-  
que sic elabi possunt, aut enim cum a-  
ctu illo malitia cohæret necessariò &  
inseparabiliter, aut contingenter, si ne-  
cessariò, sequitur Deum dum decre-  
tum de voluntate ad actum, ut est talis,  
determinanda facit, velle simul volun-  
tatem determinare ad ipsam malitiam,  
quip-

quippe quæ cum actu illo necessario & inseparabiliter cohæret: sic igitur Deus non potest non esse causa peccati: Si verò ἀταξία & malitia cohæret cum actu saltim contingenter, ut ab illo actu in individuo abesse possit, sequitur, quod DEUS in decreto, quod respicit tantum actum in se spectatum, non verò malitiam, quæ cum actu contingenter cohæret, ita ut ab eo abesse possit, cognoscere nequeat malum, ut malum quatenus est adhuc futurum, quia decretum ejus ad malum, ut est malum, nullum importat respectum.

IX. Verùm, ne durius quid dixisse videantur sententiæ hujus defensores, docent, DEUM cognoscere mala sub conditione futura non tam in decreto determinandi voluntatem, quam in decreto talem actum permittendi, positâ tali vel tali conditione. Quæ verò technæ tandem non conquiruntur ad palliandam causam suspectam! Ponamus, DEUM habere decretum permittendi hunc vel illum actum, positâ hâc vel illâ conditione, aut intelligetur per-

per-

*Et in specie, de modo, quo DEUS ea, &c. 193*

permissio negativa, quòd scilicet ad neutrum oppositorum DEUS velit voluntatem determinare, sed libertati suæ permittere: aut intelligetur permissio, quæ supponat vel includat positivam voluntatis ad alterutrum oppositorum determinationem: si prius, non apparet, quomodo in decreto permittendi possit cognosci, quod sub conditione est futurum; stante enim decreto de permittendo hoc vel illo actu, non sequitur, voluntatem, se ad actum illum determinare vel determinaturam esse, utut etiam ponatur conditio illa, sub qua decretum fit. E. in tali decreto, quò DEUS vult permittere vel non impedire actum aliquem, posita hæc vel illa conditione, non potest cognosci, actum illum sub tali conditione certo esse futurum, cum voluntas ad oppositum quoque se possit determinare. Si verò intelligitur permissio, quæ præsupponit vel includit determinationem voluntatis ad alterum oppositorum ut DEUS velit actum aliquem permittere, ita ut determinare velit vo-

N lun-

luntatem ad illum actum, sententia à priori de qua supr. diversa non est: aut enim sermo est de actu, ut formaliter malus est, quâ ratione DEUS erit causa peccati, aut intelligitur actus materialiter spectatus, cum quo cohæret necessariò & inseparabiliter malitia, ubi iterum culpa redibit in Deum, quippe qui dum voluntatem determinare decrevit ad actum, cum quo inseparabiliter cohæret malitia, ad ipsam quoque malitiam eandem determinare censebitur: aut tandem intelligitur actus, cum quo contingenter cohæret malitia, ut ab eo possit etiam abesse, quâ ratione in decreto, quò DEUS vult ad actum pro materiali peccati sumtum, determinare voluntatem, certò non potest cognosci malum sub ratione mali, cum fieri possit, ut cum tali actu, ad quem DEUS decrevit voluntatem determinare, non cohæreat malitia, & quia tale decretum nullum planè habet respectum ad malitiam contingenter cum actu cohæ-

rentem.

CA-



## CAPUT XIII.

*In quò Calvinianorum argu-  
menta contra mediam DEI  
scientiam examinantur.*

## I.

**N**unc Calvinianorum argumenta,  
qui aliàs negant scientiam DEI me-  
diam considerata sunt. Inprimis au-  
tem, quando cum ipsis agitur, status  
controversiæ ritè formandus est. Sci-  
endum igitur, Calvinianos DEO non  
planè denegare futurorum conditio-  
natorum scientiam, si enim præcedit  
decretum DEI, quo determinatur cau-  
sa vel voluntas humana ad hoc vel il-  
lud, positâ aliquâ conditione, agen-  
dum, concedunt, DEUM illud, quando  
adhuc futurum est, cognoscere: De  
hoc igitur imprimis quæritur inter nos  
& Calvinianos, an aliquid possit esse fu-  
turū saltim sub conditione, ut nō præ-  
requiratur decretum DEI quod v.g. vo-  
luntatē hominis determinet. e.g. cū di-  
citur: Si Saul obsidione cinget Keilitas,  
ipsi tradent Davidē, quæritur, an futura

N 2

fuc

fuerit traditio Davidis sine decreto DEI, an non? Calviniani docent, sine decreto DEI eam futuram non fuisse. Ex hōc porrò deducunt, quod, quia sine decreto DEI nihil est futurum, sine eo quoque nihil sciri posit à DEO tanquam futurum. Nos contrà negamus, ad hoc, ut aliquid quocunque modò etiam sub conditione sit futurum, & tanquam futurum à DEO cognoscatur, requiri, ut præcedat decretum DEI, sed dicimus, DEUM cognoscere id, quod sub conditione futurum est, sive ad quod hominis voluntas liberè se determinatura est, ut nullum præcedat decretum determinans voluntatem, & hanc scientiam vocamus mediam, cuius appellationis rationem suprà assignavimus.

II. Calviniani ut hanc nostram sententiam evertant, nullum non movent lapidem. Ex *Guilielmo Tuvisso* variis in locis *l. 2. de scientia fut. condit.* contra Suarez seqq. necti possunt argumenta, quorum primò quidem probari poterit, nihil posse futurum esse sine  
de.

decreto DEI, h. m. Id quod futurum fuit ab æterno, aut tale fuit sine causa, aut per causam. Non sine causa. E. per causam. Si per causam, ea vel fuit extra DEUM, vel in DEO, non extra DEUM, quia ab æterno extra DEUM nihil fuit. E. in DEO. In DEO autem alia causa non potest dari præter decretum. Sicut igitur sine causa non potest dari futurum: ita nec sine decreto, cum alia causa hic locum habere non possit. Alterô probari potest, ea, quæ sine decreto vocantur futura conditionata, sciri non posse, h. m. Quod non est determinatè verum aut determinatè futurum, id sciri non potest tanquam futurum. Atqui quæ dicuntur futura conditionata sine decreto, non sunt determinatè vera aut futura, E. tanquam futura sciri non possunt. Major probatur, quia quæ non sunt determinatè vera, possunt esse & non esse. E. cognosci non possunt ut futura, sed saltem ut indifferentia ad esse & non esse. Minor probatur, quia propositio conditionalis sine decreto DEI est contin-

N 3

gens,

gens, Conditionalis autem contingens est falsa, & falso rem aliquam sub conditione futuram esse dicit. E. res illa determinatè vera aut futura non est.

III. *VVendelinus Theol. Christ. System. maj. l. 1. c. 1. thes. 17.* Scientiam mediam seqq. argumentis è mediò tollere conatur. 1. *Scientie hujus causam de DEO scriptura negat. Falsa igitur & ficta est. Antecedens probatur: quia scientie hujus fundamentum est decretum DEI conditionatum, h. e. suspensum à conditione per arbitrium liberum sine ullà DEI determinatione implendum: cujusmodi nullum est decretum DEI.* 2. *Scientie hujus nullum est objectum. E. & ipsa nulla est: antecedens probatur, quia omnes humane voluntatis actus providentiæ & ordinationi divine subiecti sunt.* 3. *Scientia media nullam presupponit certitudinem existentie. Divina igitur non est. Antecedens patet, quia suspensa est à conditione, non per certam DEI, sed per incertam hominis voluntatem implenda.* 4. *Scientia hæc est possibili non futurorum vel futurorum E. peculiaris-*

culiarem speciem contradistinctam scientia simplicis intelligentia & visionis non constituit: quia illa est non futurorum, hæc futurorum, &c. s. Scientia hæc media fingitur pendere non à voluntate divina, sed ab objecto præcipuè. B. repugnat perfectioni & simplici independentiæ.

IV. Nostra eaque vera est sententia, DEUM sub conditione futura cognoscere sine prævio & causam determinante decreto, cum sine tali decreto sint determinatè futura & consequenter cognoscibilia, quod rectius intelligi poterit ex seqq. Ne igitur hæc nostra sententia non satis intelligatur, sciendum, nos ab hõc locõ non omne decretum excludere. Duplex enim decretum DEI hõc intelligi potest. 1. illud, de quo Calviniani loquuntur, quod præcedere actionem voluntatis, eamque ad actionem determinare putant, ad eò, ut stante tali decreto, voluntas non possit non agere. 2. intelligi potest decretum in hypothesis futuri effectus inclusum, quando DEUS decernit sive vult concurrere ad aliquem effe-

N 4

ctum

Etum positâ scilicet, hâc vel illa conditione, e. g. si ignis applicatur ligno, illud consumet: hic in hypothese involvitur decretum DEI de concursu, sensus enim est, si ignis applicatur ligno, & DEUS vult cum igne ad combustionem concurrere, lignum consumet. Non posterius, sed prius decretum ab hoc loco abesse jubemus, hâc imprimis motivatione: Si datur decretum, quod præcedit actiones voluntatis, eamque determinat ad actionem, sequitur voluntatem hominis liberè non operari. Consequens absurdum. E. & antecedens. Consequentia manifesta est. Si enim præcedens decretum voluntatem determinat ad alterum oppositorum, in potestate voluntatis amplius positum non est, se ipsam liberè determinare, agit igitur (stante tali decreto) necessariò, & si malè agit, id ipsi non poterit imputari, quod ex superioribus non potest non manifestum esse. Non quidem nos latet, Calvinianos negare consequentiam, putant enim hoc decretum libertatem non lædere, cum

non



um, sed in ipso Deo, ejus scil. decretum esse asserit, id est, quod negamus, & contra dicimus, futuri illius causam esse vel fuisse causam secundam & particularem, non quidem actu existentem, multò minus in actu secundo constitutam, sed aliquando operaturam: sicut enim hæc aliquando productura est effectum: ita effectus aliquando producendus & futurus est. Rectius hæc poterunt intelligi ex seqq.

VI. Altero argumento evincere nititur Tvvissus, ea quæ sine decretò prædeterminante futura vocantur, sciri non posse, in quo negamus minorem, quod sc. ea, quæ sine decreto prædeterminante futura conditionata vocantur, non sint determinatè futura. Probatio minoris, quam subjungit Tvvissus, nullius est pretii, quod enim dicit propositionem conditionalem sine decreto Dei esse contingentem, id absurdissimum est. Consideremus hanc propositionem, *si Deus efficaciter hoc voluit, idem facere decrevit*, quæ conditionalis est, hic quæro, an  
 cir.



circa eam detur aliquod decretum, ita, ut si Deus efficaciter hoc voluit, decreverit illud decernere? Sine magna absurditate, & nisi quis progressum in infinitum admittere velit, scio hoc dici non posse, est igitur hæc conditionalis sine decreto, sed tamen contingens non est. Cadit igitur, quod in probatione suâ tam audacter affirmat Tvvissus, conditionalem propositionem sine decreto Dei esse contingentem. Adjungimus aliam: Si Deus vivit, est intelligens: hæc conditionalis est sine decreto Dei, nec tamen contingens: hoc posterius probatur, quia antecedens verum esse non potest, nisi verum sit consequens, quod manifestum est iudicium non contingentis, sed necessariæ consequentiæ: prius verò ostendere difficile non est. modo consideretur decretum prius esse eô, circa quod versatur, si non re, saltim nostro concipiendi modô: at verò nullum decretum divinum prius est intellectu divinô, cum decretum sit voluntatis, quæ sicut nostro saltim concipiendi modô

poste-

posterior est intellectu: ita & decretum eodem est posterius; quâ ratione igitur circa hoc, quod Deus, si vivit, est intelligens, potest dari decretum? Ex his denuo luce meridianâ clarius est, Tuvissum dormitâsse, dum scripsit, omnem conditionalem sine decreto esse contingentem. Pergit Tuvissus in sua probatione, & conditionalem contingentem falsam esse, asserere non dubitat, qua in re nihil novi docet, sequitur enim *Thomam opusc. 48. tr. de enunc. c. 14. & Petrum Hisp. tract. 2. Summ.* quibus enunciatio conditionalis vera non est, nisi necessaria in eâ sit consequentia. Verùm sententiam hanc admittendam non esse & exempla & rationes evincunt. Brevitatis ergò exemplo unico erimus contenti 1. *Samuel 17. v. 25.* dicitur: *Et dixit quisq; ex Israelitis: Annon vidistis virum illum adscendentem, nempe quod adscendit ut probrum objiciat Israëli? Et Rex quidem ditabit eum magnis opibus, qui istum trucidarit, tradetq; ei filiam suam, & domum Patris libertate donabit.* Ex his

his

his verbis necti potest talis propositio conditionalis: Si quis (v. g. David) trucidabit Philistæum, cum Rex magnis ditabit opibus &c. Quod si Rex promissis stetit, propositio fuit vera, nec tamen necessaria, sed contingens: antecedente enim verò, consequens potuit esse falsum, quod satis manifestum est contingentis propositionis indicium, positâ enim trucidatione Philistæi, Regi adhuc integrum fuit victorem magnis ditare opibus & non ditare.

VII. Dicis: Ea, quæ futura conditionata dicuntur sine decreto prædeterminante, sunt adhuc indifferentia ad esse & non esse, & consequenter contingentia: hęc ipsò autem, quod contingentia sunt & indifferentia ad esse & non esse, non sunt determinatè futura. Hoc ipsum, quò minor in argumentò posteriori Tvvisi confirmari per se videtur, ingeminat Tvvisus in omnibus ferè paginis, idque non sine lectoris tædiò. Sed responsio facilis est, neque enim hæc duo, effectum aliquem esse contingentem & effectum  
es.

esse determinatè futurum pugnant, ut firmiter sibi persuasum habet Tvvissus. Ex superioribus igitur hîc repetendum, quod contingens cum causa possit dupliciter comparari: Primò enim ad causam potest referri, prout ea ad operandum & non operandum est indifferens, & sub hac ratione aliquid propriè est contingens. Sicut enim causa h. m. spectata indifferens est, ut possit rem producere & non producere: ita res potest produci & non produci, esse & non esse, quod quid aliud est, quam Contingens? Secundò res referri potest ad causam ut actu operaturam: & hoc modò sicut causa actu aliquando productura est effectum: ita effectus aliquando certò est producendus & consequenter determinatè futurus. Ex his patet, quod licet ea, quæ sine decreto dicuntur conditionatè futura, sint absolutè loquendo contingentia & indifferentia, nihilominus etiam sint determinatè futura, quatenus causa, à qua absolutè possunt produci & non produci, revera ad alterum oppositorum

rum

rum se determinatura est. Clarissima omnia sunt, ut cœcum esse necesse sit, qui hæc non videt.

IIX. Restat ut argumentis à *VVendelino Theol. Christ. System. maj. l. i. c. i. thes. 17.* adductis satisficiamus. Primum igitur non obstat. Quod enim dicit *VVendelinus*, Scripturam de DEO negare scientiæ mediæ causam, quæ dicitur esse decretum conditionatum, Respondemus, hæc nostræ sententiæ non adversari, cum nos sententiam de decreto conditionato, quod quidam tanquam causam vel fundamentum scientiæ mediæ prærequirunt, non probemus. Poterant hæc objici *Alvaresio* aut aliis decreti conditionati Patronis. Alia nobis ratio, aliud fundamentum, cui scientia media innititur, in promptu est; ex parte enim objecti adest esse determinatè sub conditione futurum & cognoscibile: Ex parte DEI autem est intellectûs infinitas, quæ omnia pluribus explicaremus, nisi metuendum esset, ne solem facibus juvare velle videremur. Secundum *VVende-*  
de-

delini argumentum hûc redit: *Quæ scientia nullum habet objectum, ea nulla est. Atqui media. E. Minor probatur, quia omnes humane voluntatis actus subiecti sunt providentiæ & ordinationi divinæ.* Antequam respondeamus, paulò clarius explicanda est probatio VVendelini, quæ intricatior est. Videtur autem VVendelinus respicere receptam Calvinianorum sententiam, qui futura conditionata dari aut sciri posse sine decreto DEI præcedente strenuè negant: cùm nos contra asseramus, esse & cognosci posse futura conditionata sine præcedente & prædeterminante divinô decretô. Talia autem futura (sine decretô divinô) negat VVendelinus posse esse objectum scientiæ, rationem subjungit, quia omnes actus voluntatis humanæ (& consequenter etiam futuri sub conditione) subiecti sunt providentiæ divinæ, adeoque sine decreto divino non dantur. Verum in argumento negamus minorem, quod scientia media nullum habeat objectum. Probatio omni destituitur con-

sc.

sequentia. Licet enim omnes actus voluntatis humanæ subjecti sint providentiæ & ordinationi divinæ, inde tamen non sequitur, quod futura conditionata dari aut sciri non possint, nisi adsit præcedens & prædeterminans decretum DEI, nisi quis colligere velit, ex eo quod omnes actus voluntatis humanæ subjecti sunt providentiæ divinæ, sequi, omnes voluntatis humanæ actus etiam eos qui sub conditione futuri sunt, esse necessarios, habere præcedens aliquod & prædeterminans decretum, quò voluntas ad tales actus determinetur, & consequenter, quæ tale decretum non habent, nec futura, nec ut futura cognoscibilia, sive scientiæ objecta esse, quam consequentiam admitemus, si probaverint Calviniani providentiam DEI in specie circa actiones voluntatis consistere in hoc, quòd DEUS determinat aut determinare decrevit voluntatem ad alterum oppositorum. Sed *Θαῖπρον ποιήσῃ μέλι καύθαρ* & *ἡ γάλα κώνωψ*, quam ipsi hoc probaverint.

Q

Ter-

IX. Tertium VVendelini argumen-  
 tum hûc redit: Si Scientia media nul-  
 lam præsupponit certitudinem existen-  
 tiæ, sequitur quod DEO sit indigna, imò  
 nulla. Antecedens est verum. E. &  
 consequens. Antecedens probatur,  
 quia suspensa est à conditione non per  
 certam DEI, sed per incertam hominis  
 voluntatem implenda. Ita VVendel.  
 obscurum autem est, quid velit, vide-  
 tur tamen mens ejus hæc esse: quia ob-  
 jectum scientiæ mediæ non certò exi-  
 stit, sed saltim positâ incertâ aliquâ  
 conditione ab incerta hominis volun-  
 tate implendâ, ideo & ipsa scientia cer-  
 tâ non erit, sed DEO indigna. Resp.  
 negamus antecedens: quod probatio-  
 nem attinet, negamus, quod vel obje-  
 ctum scientiæ mediæ vel conditio in-  
 certa sit. Non disputabimus h. l. an  
 conditio, sub quâ scientiæ hujus obje-  
 ctum futurum esse dicitur, semper sit  
 implenda à voluntate humanâ, sed il-  
 lud jam ponemus, salva tamen manet  
 certitudo tum objecti hujus scientiæ,  
 tum conditionis: licet enim conditio  
 illa



illa, ut & objectum absolute loquendo sit contingens, hoc tamen non tollit certitudinem: Contingens enim est si consideratur in ordine ad causam, pro-ut illa potest operari & non operari; ita enim conditio illa potest poni & potest non poni, objectum scientiæ potest produci & non produci, esse & non esse: quatenus verò causa certò ponet conditionem, adeoque ad eam se determinabit, (certò enim ad alterum oppositorum se determinatura est, ut ex superioribus constat) conditio certò ponetur, eâque positâ certò ipsum quoque dabitur objectum, repugnat enim causam certò se determinaturam esse v. g. ad ponendam conditionem vel producendum effectum, nec tamen conditionem certò ponendam aut effectum producendum esse. Patet igitur quod conditio non sit incerta, si etiam vel maximè implenda sit à voluntate hominis, & consequenter scientiam mediam non esse suspensam ab incertâ conditione.

X. In quartô argumento VVende-  
linus

O 2

linus

linus hoc vult: Scientia de qua nobis sermo est, aut est possibilium futurorum aut non futurorum. Si est possibilium futurorum est scientia visionis: si possibilium non futurorum, est scientia simplicis intelligentiæ, quæ, iudice VVendelino, est non futurorum: & consequenter hæc scientia, de qua agimus, non est media inter scientiam visionis & simplicis intelligentiæ. Resp. In primo argumento consequentiam desideramus: Novit VVendelinus, ut digitos suos, eorum quæ futura sunt, quædam absolutè & sine omni conditione esse futura, quædam non nisi cum conditione. Unde nulla est consequentia, scientia de qua agimus, est possibilium futurorum. E. est scientia visionis, & consequenter non est media inter scientiam simplicis intelligentiæ & visionis. Nam scientia, de qua agimus, est quidem possibilium futurorum, sed conditionatorum, ex quo non sequitur, quòd sit scientia visionis, cum hæc versetur circa futura absoluta. In altero (quamvis ad præsens id nihil faci-

faciat) nullam video consequentiam. Quomodo enim ex eo, quod aliqua scientia est possibilium non futurorum, sequatur, eam esse simplicis intelligentiæ, non assequor, cum scientia simplicis intelligentiæ nec ad futura, nec ad non futura, sed præcisè ad possible respectum dicat, non attendendo, an futura, an non futura sint.

XI. Quintum argumentum VVendelini huc videtur redire: Quæ scientia repugnat independentiæ divinæ, DEO tribuenda non est. Atqui media. E. Minor probatur, quia fingitur pendere non à voluntate divina, sed præcipuè ab objecto. Resp. Negatur minor unà cum probatione, quatenus dicit, hanc scientiam ab objecto dependere; Est enim à parte rei & quoad entitatem aliud nihil, quàm simplicissima DEI essentia sumta cum connotatô, quod sunt futura cum conditione. Sicut igitur Scientia visionis, quæ est ipsa DEI essentia sumta cum connotato, futuris sc. absolutis, non dependet ab objectô: ita se res h. l. quoque habet.

○ 3

Sa-

Samuel Rhætorfortis, Ecclesiæ Anvverensis in Gallovidiâ Scotiæ Provinciâ Pastor, in *Exercitationibus Apologeticis pro divina grat.* impugnat mediam DEI scientiam seqq. argumētis:

Prima rat. *Vana est illa scientia, cujus objectum est non scibile, non verū, & non ens. Atqui objectum hujus scientiæ, cum sit ens habens esse & veritatem antecedenter ad suam causam nempe DEI decretum, est non scibile & non verum. Sciencia hæc est vana.* Minorem probat seqq. *futuris contingentibus ex hypothesi non convenit aliqua veritas realis, ab æterno in se, hoc enim est solius DEI proprium: nec iis potest convenire aliqua realitas ratione efficientis, nempe DEI decretum.*

Secunda ratio: *Illam scientiam explodendam est, cujus objectum est tale, ut eò posito effectus reducatur in arbitrium creatum ut in primum determinans. Nam solus DEUS est primum determinans. Atqui si decretum sit posterius objecto scientiæ mediæ, objectum hoc ultimè*

matè

matè resolvetur in arbitrium creatum: non enim potest resolvi in DEI decretum ut in primum determinans, quia decretum est eò posterius.

Tertia ratio: Objectum omnis scientiæ infallibilis est necessarium. Contingentia futura antecedenter ad decretum DEI non sunt necessaria E. non datur objectum huius scientiæ. Major, inquit, est certa, quia omnis infallibilitas scientiæ fundatur in necessitate objectiva: neque dari per certitudinem mentis ceu subjectivam citra omnem certitudinem entis s. objectivam, omnes unò ore clamitant Metaphysici. Minorem probat his verbis: antecedenter ad DEI decretum & ex se Tyrus visis signis tam possunt non credere & resipiscere, quam credere & resipiscere: ex se Keilite tam Davidem permanentem poterant non tradere in manus Sauli, quam tradere. Nam hæc est illis libertatis natura, ut positus omnibus ad agendum requisitis possint agere vel non agere.

Quarta ratio: DEUS invicta rationatur 1. Sam. 23. si David permanserit,

O 4

tum

tum Keilitæ ipsum tradent Saulo; & si Tyrii vidissent signa, tum resipiscunt; hæ conditiones sunt syllogistica & DEO nota; consequentia autem bona semper est bona, & semper necessaria erit hæc: Tyrii vident signa. E. resipiscunt. At si sit veritas in hisce antecedenter ad DEI decretum, illo decreto nondum posito ut docent adversarii, mala & impossibilis & falsa est hæc consequentia, Tyrii vident signa E. resipiscunt: nulla enim necessaria sed plane contingens & indifferens. connexio inter visionem signorum & Tyriorum resipiscentiam.

Quinta ratio: Si obiectum hujus scientiæ præcedit liberum DEI decretum, tum omnia contingentia antevertunt DEI libertatem, nec poterit misereri quorum vult, Christum revelare, quibus vult, neque aliter disponere contingentia, quam sese disposuerunt antecedenter ad DEI decretum, & DEUS fatali necessitate omnia velle cogetur. Nam si contingentiæ præcedunt scientiam mediam, & præscientia præcedit decretum multo magis contingentiæ omnia quoad reale in ipso.

*ipsorum futuritionem antecedunt DEI decretum. Ita Rhætorfortis impugnat scientiam DEI mediam.*

XII. Verùm hisce etiam satisfacere non est difficile. Quod igitur attinet ad primum argum. major illius, si membra in ordinem rediguntur, hæc est: *scientia, cujus objectum est non scibile, non verum, non ens, est vana: quæ propositio si paulò accuratius consideretur, in tria membra potest resolvi, quorum primum hoc est: scientia, cujus objectum est non scibile, est vana: Secundum huc redit: Scientia cujus objectum est non verum, est vana: Tertium est tale: Scientia, cujus objectum est non ens, est vana.*

XIII. Si igitur primum membrū loco majoris ponitur, h. m. *Scientia, cujus objectum est non scibile, est vana.* Subsumendum erit h. m. *Scientia media est scientia, cujus objectum est non scibile.* & concludendum *E. scientia media est vana.* Ut constet, quid ad hoc argumētum dicendum sit, observandum est, quod sicut scientia; ita quoque scibile

O !

NON

non eodem modo sumatur. Quemadmodum ergo *scientia* interdum sumitur pro *scientia demonstrativâ*, quæ scil. per causam propter quam res est, acquiritur, ita *scibile*, quatenus huic *scientiæ* respondet, nihil aliud esse videtur, quam *demonstrativa conclusio*. H. m. si sumitur *scientia* & *scibile*, sensus majoris erit talis: *Scientia*, cujus objectum est non *scibile*, h. e. cujus objectum non est *conclusio demonstrabilis*, est *vana*, h. e. non est *scientia demonstrativa*, quæ per causam propter quam res est, acquiritur. Sic argumentum hoc nostram sententiam non ferit: non enim asserimus, *scientiam DEI* mediam esse *scientiam demonstrativam*, ut in cap. I. hujus disert. ostensum est. Deinde sicut interdum *scientia* sumitur pro quâvis rei cognitione (etiam absque causâ) ita *scibile* est, quod tali cognitione potest attingi seu cognosci, non habitâ ratione causæ. Hôc significatu si accipitur *scientia* & *scibile* in argum. negatur minor, quod scil. objectum *scientiæ* mediæ

diæ



diæ (futurū sub conditione) sit nō scibile, h. e. non sit tale quid, quod cognitione aliquā possit attingi seu cognosci. Oppositum patet ex *cap. 12. §. 5.* quare hic nihil addo.

XIV. Secundum membrum majoris in 1. arg. erat hoc: *Scientia, cuius objectum est non verum, est vana.* Subsumendum: *Scientia media est scientia, cuius objectum est non verum; & concludendum: E. scientia media est vana.* Verum huic etiam dubio facile satisfieri potest. Aut igitur per *verum* in argum. intelligitur integra proposito, quæ aliàs à veritate absolutè denominatur, & vera dicitur, aut intelligitur id, quod veram habet essentiam seu existentiam, quamvis hoc aliàs absolute non dicatur verum, sed cum additō, verum ens. Si priori modō sumitur *verum*, sensus majoris erit hic: *Scientia, cuius objectum est non verum, i. e. cuius objectum non est propositio vera, est vana h. m. major est falsissima, scientia enim quā DEUS non solum seipsum, sed etiam res præsentēs & præteritas cognoscit, est talis scientia, cuius*

*ius*

jus objectum est non verum, i. e. cujus objectum non est propositio vera: quis verò dixerit, scientiã quã DEUS seipsum, præsentia & præterita cognoscit, esse vanam? si autem verum sumitur posteriori modô, pro eo, quod veram habet essentiam vel existentiam, major iterum est falsa, quod scil. scientia illa, cujus objectum est non verum h. e. non habens veram essentiam l. existentiam, sit vana. Scientia enim divina, quatenus versatur circa præterita, aut circa ea, quæ absolutè futura sunt, tale habet objectum, quod non habet veram essentiam vel existentiam, quis vero dicet, scientiam DEI circa præterita & futura esse vanam?

XV. Tertium membrum majoris in I. argum. erat hoc: *Scientia, cujus objectum est non ens, est vana, Atqui scientia DEI media &c. E.* Sed in hoc etiam argum. major est falsa. Nam scientiæ illius, quã DEUS præterita vel absolute futura cognoscit, objectum est non ens, non tamen ~~explodenda~~ est hæc DEI scientia.

XVI.

XVI. Ad 2. arg. Resp. Neg. maj. quod scil. illa scientia, cujus objectum tale est, ut eô positô, effectus reducat in arbitrium creatum ut in primum determinans, sit explodenda; sumamus e. g. præscientiam eorum, quæ absolute futura, & ab homine fieri debent, sane negari non potest, objectum hujus scientiæ tale esse, ut positio eô, effectus reducendus sit in arbitrium creatum, ut in primum determinans, quis vero dixerit præscientiam absolute futurorum esse explodendam. Ut res fiat clarior, consideremus exemplum Judæ proditoris: negari non potest, ejus proditorem DEO ab æterno fuisse cognitam, & sic fuisse objectum præscientiæ DEI: at verò positio hoc objecto, effectus, ipsa scil. proditio aut reduci debuit in arbitrium creatum aut in arbitrium increatum, ut primum determinans: non in increatum: neque enim dici potest, Judam proditorem determinatum esse ad prodendum Christum ab arbitrio increatô, seu ab ipsô DEO, nisi omnem culpam, quæ

ROB. CON-

consecuta est illam proditionem, in DEUM transferre velimus. De his cum in præced. actum sit fusius, plura jam non addo. Cum g. ut patet, proditio non reduci potuerit in arbitrium increatum, consequens est, ut dicamus, eam reducendam esse in arbitrium creatum ut primum determinans (sicut loquitur Rhætorfortis) Habemus g. tale objectum, quô positô effectus reducendus est in arbitrium creatum, ut primum determinans, nec tamen præscientiã DEI, quã ab æternô proditionem istam præscivit, explodenda est.

XVII. Ad 3. rat. quam contra mediã DEI scientiam adducit Rhætorfortis, resp. neg. major quod omnis scientiæ infallibilis objectum sit necessarium. Consideremus e. g. scientiam DEI quæ versatur circa præsentia, quæ hõc tempore sunt ita ut aliõ tempore non sint, certè negari non potest, hanc scientiam DEI infallibilem esse, (nisi in DEO imperfectionem admittere velimus) quis vero concesserit, præsentia, quæ jam sunt, ut aliõ tempore  
non

non sint, esse necessaria? Quod attinet probationem, quam subjicit Rhætorfortis, cum inquit, *omnis infallibilitas scientiæ fundatur in necessitate objectivâ*, quibus verbis hoc vult, quod ad hoc, ut scientia infallibilis sit, requiratur, ut objectum sit necessarium. Resp. Hoc non esse absolutè verum, sed tantum locum habere, quando imperfecta est facultas cognoscendi, ita, ut rem diè perfectiori, jam imperfectiori modo cognoscat; si talis est potentia cognoscendi, potest quidem aliquo modo cognoscere objectum contingens: ut autem infallibilis sit scientia, h. e. ut perfectè aliquid cognoscat, requiritur, ut quasi juvetur ab objecto, quod fit quando objectum est necessarium, sic enim potentia, quæ alias errare poterat, rem, cum aliter habere nequeat, infallibiliter cognoscere, adeoque talis potentiæ scientia infallibilis esse potest. At verò potentia cognoscendi in DEO, quâ scire aliquid dicitur, cum nulla imperfectione est conjuncta, nisi ex DEO non DEUM facere velimus.

XVII. In ratione quartâ Rhætorfortis hoc videtur velle: si in hisce propositionibus: *Si David permanserit, tum Keilitia ipsum tradent Saulo & si Tyrii vidissent signa, tum resipuissent:* est necessaria consequentia, sequitur, Deum futura illa conditionata non absque præcedente decreto cognovisse. Verum est prius. E. & posterius. Verum Rhætorfortis pro certò sumit, quod concedi non potest. Quod enim in hisce propositionibus: *Si David permanserit &c. Si Tyrii vidissent &c.* sit consequentia necessaria, id probare non potest Rhætorf. Ubi enim antecedente positò consequens ita ponitur, ut possit etiam non poni, ibi consequentia non est necessaria. Atqui in his res ita se habet: positâ enim Davidis permansione, futura fuit à Keilitis traditio ejusdem, sed ita, ut potuerit etiam non futura esse: idem de alterò exemplo est dicendum. Deinde negatur etiam consequentia. Posito enim in hâc propositione: *Si David permanserit, Keilita ipsum tradent Saulo,*  
 ne-

necessariam esse consequentiam, inde tamen inferre non licet, DEUM futurum illud conditionatum, nempe Davidis traditionem à Keilitis sub conditione futuram non nisi in præcedente decretò cognovisse, potuit enim dictam traditionem cognoscere ex ipsâ determinatione causæ certò futurâ, posita istâ conditione, h. e. quia Keilitæ (positâ Davidis permansione) certò se erant determinaturi ad Davidis traditionem, ideo DEUS cognitâ hâc determinatione, quæ (posita conditione) certa erat, ipsam traditionem, quæ sub conditione futura erat, poterat cognoscere.

XVIII. In quintò argum. Rhætorfortis hoc vult: Si objectũ scientiæ mediæ præcedit liberum DEI decretum, tum omnia contingentia antevertunt DEI libertatem, ut non possit aliter disponere contingentiâ, quam sese disposuerunt antecederent ad DEI decretum, unde sequetur, DEUM cogi, ut omnia velit fatali necessitate.

XIX. Ad ultimum Resp. brevissimè negando consequentiam; posito enim

P

con.

contingentia antevertere libertatem vel liberum DEI decretum, non tamen sequitur, ita antevertere ut DEUS ea non possit aliter disponere. Sicut enim DEUS ob infinitatem intellectus ignorare non potest, ad quodnam oppositorum se determinatura sit causa secunda alicujus contingentis, si habeat concursum divinum, aliaque requisita ad agendum necessaria: ita nihil obstat, quo minus per subtractionem concursus vel alterius ad agendum necessarii requisiti aliter disponere possit contingentia, quam se disposuerunt. Hinc cadit etiam alterum, DEUM scilicet cogi, ut omnia velit fatali necessitate. Plura, quæ hic adduci possent, alio proferentur loco.

XX. Ex his omnibus abundè constat, quod fut. Condit. sine decreto, sive illud conditionatum, hve ex parte DEI absolutum, ex parte hominum autem conditionatum, sive planè absolutum dicatur, à DEO cognoscantur, quia sunt determinatè futura sub conditione. Cæterùm quod Fut. Condit. à DEO cognoscantur. & consequen-



quenter, quòd detur scientia media, Autores qui nostram amplectuntur sententiam, variis Scripturæ testimoniis probare solent, quorum nonnulla hîc adjicere placet.

XXI. Primò ex *Matth. XI. Si in urbe Tyri & Sidonis factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in sacco & cinere pœnitentiam egissent.* Prævidisse hîc dicitur Christus Tyrriorum & Sidoniorum pœnitentiam sub conditione futuram. Verùm varia hîc effugia quærunt, qui adversam sententiam defendunt. Quidam docent, locutionem *Servatoris non esse assertivam; sed hæc dixisse Salvatorem ad exaggerandum delictum Judæorum, sicut ad exaggerandam amici ingratitude dicere solemus, si extraneo vel inimico id fecissem, magis gratus fuisset. &c.* Huc ferè redeunt ea, quæ scripsit *Vendelinus Christ. Theol. System. maj. lib. 1. c. 1. th. 17. p. 155.* locutione scil. *Salvatoris significatam fuisse maximam Chorazæorum & Bethsaidarum obstinationem & longè majorem, quam Tyrriorum & Sidoniorum.* Verùm cur delabimur ad talē explicationem,

ubi nulla urgens ratio est, cur à propria & genuina verborum significatione recedamus? Neque enim sufficiens ab Autoribus adfertur ratio, cur locutio non sit assertiva, nisi dicere velint, hōc modō confirmari scientiam DEI mediam; quod quid aliud est, quàm τὸ ἐξ ὁρῶν ἀπειθοῦς, *Guilielmus Tyvissus contra Suarez. l. 2. de scientiâ fut. Condit. c. 1.* putat verborum Salvatoris hunc esse sensum; Quia omnes naturaliter commovemur ad exhibitionem miraculorum, ideò si in urbe Tyri & Sidonis factæ fuissent virtutes, egissent poenitentiam. Verùm si hoc voluisset Salvator, eodem jure potuisset idem dicere de Chorazæis & Bethsaidæis, si enim omnes commovemur ad exhibitionem miraculorum, hi quoque commoti fuerunt, cum apud ipsos insignia facta fuerint miracula, quod tamen factum non esse, testis est Salvatoris increpatio. Ignotum quidem non est, quid regerant Calviniani, Chorazæos scil. & Bethsaidæos poenitentiam ideò non egisse, quia defuit decretum

tum

tum de concedendo gratiæ efficacis auxilio, vel ut VVendelinus de Tyriis loquitur, quia DEUS pœnitentiæ agendæ gratiam iis non conferre decrevit. Verùm quia ad Cathedram Philosophorum hæc non spectant, Theologis venerandis, ne extra chorum pedem ponere videamur, ea relinquimus. Calvinus, ut Stapleton. refert, putat, Christum non disputasse d. l. quid præsciverit DEUS, sed quid facturi fuerint alii, quatenus ex re ipsa poterat percipi. Verùm de eo, quod facturi erant Tyrii & Sidonii, quæro, an determinatè fuerit futurum positâ scil. conditione, cujus in textu fit mentio, annon? Posterius dici non potest, cùm repugnet Tyrios aliquid facturos esse, quod tamen determinatè futurum non sit: Si prius, si scil. determinatè futurum fuit positâ conditione, ostendit omninò Salvator non tantùm quid determinatè futurum fuerit sub conditione, sed idem etiam tanquam verus DEUS præscivit, cùm sine præscientia prædici non potuerit. Reherent adversarii

per conjecturam Deum hoc scivisse. At verò conjecturam Deo tribui non posse facile intelligunt omnes, qui in Deum nullam imperfectionem cadere posse sciunt, qualem importat conjectura, sicut hæc omnia vel pueris ignota esse nequeunt. Videatur *Vazquez. Tom. 1. disp. LXVII. c. 3. n. 10.* qui majori injuriâ Deum afficere putat illos, qui ei conjecturam tribuunt, quàm qui aliquid eum non scire, putant. *VVendelinus* l. c. ad hunc locum dicit, Deum per scientiam simplicis intelligentiæ Tyrios & Sidonios poenitentiam non acturos scivisse: sed inanis est hæc responsio & nimis jejuna. Neque enim l. c. dicitur, Tyrios non acturos esse poenitentiam, sed oppositum potius, ipsos scilicet acturos fuisse poenitentiam, si tanta apud ipsos facta fuissent miracula. Quia igitur nihil solidi contra locum adductum à Calvinianis vel aliis adferri potest, cur vel à textu sit recedendum, vel sub conditione Tyriorum & Sidoniorum poenitentia non fuerit futura, aut à Deo cognita,  
mc.

meritò dicimus, locum cit. pro scientia media militare. Nam quod attinet decretum divinum determinans, sine quo nihil futurum dicit esse posse, quod ad nauseam cum sociis ingeminat *Tvviſſus*, id nullum est, ut ostendimus in præcedentibus.

XXII. Deinde alium locum producunt Autores pro scientia MEDIA ex *1. Sam. 23. 10.* ubi quærit David, Anne, si maneret in oppido Keila, Saul venturus esset ad obsidionem, & à Domino hoc responsi accepit, quod Saul venturus sit. Cùm sciscitari pergeret David, an positâ obsidione Keilitæ traditurî essent ipsum in manus Saulis, denuò DEUS affirmativè respondebat. Quid aliud colligi potest ex hoc locò, quàm DEUM futura illa, Saulem scil. sub conditione illa, si maneret David in urbe Keila, venturum esse, & Keilitas, sub alia conditione, factâ sc. obsidione, tradituros esse Davidem, cognovisse? Sed & hîc Adversarii effugia quærunt. *Gulielmus Tvviſſus in Gabr. Penotti propugnac. humane libertatis. lib. 3. c. 27. di-*

cit, DEUM Davidi indicâsse non tam, quid futurum esset, posita illâ conditione, quàm quid eô tempore esset in præsentî, quid scil. animo suo decrevisset Saul, quove animô Keilitæ essent tùm erga Saulem, tùm erga Davidem. Eandem cantilenam nobis canit *VVendelinus l. cit.* Vel, si futurum DEUS cognovit, dicit hoc factum fuisse, *quatenus consideravit decretum suum generale de ciendis scil. creaturis suis ad motus suos congruentes naturis ipsarum.* Verùm quod concernit prius, nempe non tam de futuro, quàm de præsentî d. l. sermonem esse, id dicit quidem *Tvvissus*, sed unde id probet, non habet. Oppositum probamus h. m. Quodcunque Davidi fuit notissimum & de quo non consuluit Dominum, de eo d. l. non dicitur, quod DEUS illud vel cognoverit vel Davidi indicaverit. Atqui animus tùm Keilitarum tùm Saulis Davidi fuit notissimus, nec de eô consuluit Dominum. E. De animo tùm Keilitarum, tùm Saulis d. l. non dicitur quod DEUS illum (tanquam aliquid præsens) cogno-

cogno-

cognoverit vel Davidi indicaverit. Alteram præmissarum probare, esset Soli lucem affundere. Quis enim (quod majorem attinet) Davidem de alio quæsisse, DEUM de alio respondisse, dixerit? Nec de minore dubium esse potest, neque enim David quærit quomodo animo sint vel Saul vel Keilitæ, sed de eventu susceptæ à Saule expeditionis & de traditione Keilitarum consuluit Dominum, ut verba textûs indicant. Evidentiâ igitur verborum convictus dicit Tyvissus DEUM cognovisse & prædixisse futurum, sed quatenus *consideravit decretum de ciendis creaturis ad motus suos.* Sed ad hæc quid dicendum sit, ex superioribus obscurum esse nequit: aut enim 1. tale decretum lædit hominis libertatem, ut non possit non agere, aut non lædit 2. aut respicit hoc decretum traditionem ut est malum quid, aut ut est saltem actio quædam. Si tale decretum libertatem lædit, & si insuper traditio spectatur ut malum quid, sequitur non tantum traditionem, sed omnia etiam mala necessitate

P 5 tate

tate quâdam fieri, ut homo non possit non ea committere, adeoque culpam omnem in DEUM redire. Si enim decreto illo hominis voluntas determinatur, ipsa seipsam liberè non determinat; committitur ergò omne malum ab homine tanquam agente necessariò, unde non magis erit culpandus quàm brutum. Si verò decretum non obstat, quò minus homo se possit liberè determinare ad hoc vel illud, aut si traditio Keilitarum spectatur tantùm ut nuda actio, non ut talis actio, sequitur, quòd per illud decretum, (loquor de præcedente, ut Calviniani solent) non potuerit cognosci, quid determinatè fuerit futurum in particulari. Non quidem me latet, quid regerant Calviniani, quòd scilicet decretum DEI non obstat hominis libertati, cùm motio sit conveniens naturæ. Sed ludunt vocabulis, libertatem enim hominis à coactione tantùm salvam manere probant, quæ libertas propriè & absolutè non est libertas, nisi brutis libertatem tribuere cuiquam placuerit. Alia in-

super



super Scripturæ loca adferuntur, ut  
Ezech. 3. vers. 5. 6. Non ad populos pro-  
fundi sermonis & ignota lingua tu mit-  
teris &c. Si ad illos mittereris, ipsi audi-  
rent te. Jerem. 18. Repentè loquar &c.  
Actor. 22. Festina & exi velociter &c.  
quoniam non recipient testi-  
monium tuum &c.

Sed hinc esto

**FINIS.**





# INDEX RERUM.

## A.

**A**ctus est vel primus vel secundus p. 14.  
15. 16.

Averrois argumenta, quib. negavit, DE-  
um extra se aliquid cognoscere. 40. seqq.

## C.

Causarum secundarum aliae sunt natura-  
les, aliae liberae. 86. 87.

Cognitio, quâ DEus se ipsum cognoscit, an  
sit comprehensiva? 24. 28. 29. seqq.

Cognitio rei per nobilissimum medium an sit  
perfectior? 69. seqq. 73.

Comprehensio variis modis à Nominalibus  
24. 25. iudicium de sententia sumitur  
Nominalium 29. 30. 31. 32.

Comprehensio quomodo explicetur ab Au-  
gustino, quomodo à Thoma? 25. 26.

Comprehensio quid sit, quoniam ad intellectum  
refertur? 26. 27.

Concursus DEI generalis non adfert ho-  
mini

## INDEX RERUM.

- mini necessitatem inoperando* 169. 170.  
*Concursus DEI generalis ab actione ho-*  
*minis realiter non differt.* 169.  
*Conditionalis propositio an sine decreto*  
*DEI semper sit contingens?* 202. 203.  
*Conditionalis propositio an semper ha-*  
*bere debeat necessariam consequen-*  
*tiam?* 204. 205.  
*Contingens dicitur dupliciter* 85.  
*Contingentia non obstat futurorum præ-*  
*scientia.* 115. 116.  
*Crellii argumenta contra futurorum præ-*  
*scientiam in DEO. 115. seqq. ad ea re-*  
*sponsio.* 150. seqq.

### D.

- DEI prædicata sicut in triplici sunt dif-*  
*ferentia: ita triplici via ex lumine*  
*nature cognoscuntur.* 4. 5.  
*DEus, quo sensu sit primum vel primū*  
*sue cognitionis objectum?* 22. 23.

### F.

- Franzii argumenta pro divina scientia*  
*Futurorum Conting.* 99. 100.  
*Futurum unde aliquid dicatur?* 79.  
80. seqq.  
Futu

INDEX RERUM.

- Futurum quotuplex.* 84.  
*Futura necessaria an dentur?* 84. 85.  
*Futura Contingentia duplicia sunt.* 89. 90.  
*Futura Conting. an cadant sub scientiam  
DEI?* 92. 93.  
*Futura Conting. an certò futura?* 108.  
*Futurũ conting. à causa sua habet non so-  
lum hoc, quod potest produci & non  
produci, sed etiam illud quod determi-  
nate futurum est.* 108. 109. 117. 118. 138.  
*Futuri Causa quanam sit?* 139.  
*Futura Conting. an cognoscantur à DEO  
per presentiam in aternitate?* 156. 158.  
160.  
*Futura conditionata an à DEO cogno-  
scantur precedente aliquò decreto, an  
vero sine decreto?* 181. seqq. 187. seqq.  
*Futura Conditionata in se cognoscuntur  
à DEO, quia determinatè sunt futura  
sub Conditione.* 185. 186. 199.

H.

*Habitus requisita ex Suarezio.* 13.

I.

*Intellectus an & quomodo perficiatur ab  
eò, quod cognoscit?* 42.

Intel.

INDEX RERUM.

*Intellectus an transmutetur in illud,  
quod cognoscit?* 43.

*Intellectus an idem sit cum objecto co-  
gnito?* 44.45.

*Intellectus divinus est infinitus.* 184.

*Intuitiva DEI cognitio an semper re-  
quirat objectum realiter praesens?* 161.

L.

*Libertas voluntatis an ab ipsa voluntate  
sit realiter distincta?* 127.

*Libertas, à qua homo dicitur liber, est  
libertas à necessitate.* 177

N.

*Necessarium vel Contingens quo respectu  
aliquid dicatur?* 85.86. seqq.

*Necessarium duplex est, vel absolute vel  
ex hypothesi.* 151.

O.

*Objectum cognoscibile primum variis  
modis dicitur.* 21. 22.

P.

*Petri voluntas an ad abnegationem Chri-  
sti fuerit coacta?* 126.127. seqq.

*Photiniani negant omnium futurorum  
scientiam DEO competere.* 97.

*Pœnitentiæ propriè sumta requisita.* 143.

Q

Pœ.

INDEX RERUM.

- Pœnitentia quò sensu DEO tribuatur?*  
144. 145. 146.
- Pœnitentia cum DEO tribuitur, num destruat ejus præscientiam Futurorum Conting.?* 145.
- Possibile unde aliquid dicatur.* 62. 63. seqq.
- Possibile dicitur dupliciter.* 66. 68.
- Possibilia quomodo à Deo cognoscantur* 68. seqq. *an in ipsa essentia DEI tanquã in causa* 71. *an verò in se?* 77.
- Possibile in essentia divina cognitio an requiratur ad causæ comprehensionem?* 75. 76.
- Præscientia DEI Futur. Conting. quomodo sit imper scrutabilis?* 120. 121.
- Præscientia DEI Futur. Conting. an habeat in Scripturis S. testimonium?* 123.
- Præscientia DEI an tollat libertatem hominis?* 141.
- Præscientia Futur. Conting. an adimat DEO curam rerũ humanarum?* 141. 142.
- Præscientia Dei Fut. Conting. an pugnet cum Scriptura S.?* 142. 143. seqq.
- Propositionum de Fut. Conting. an altera sit determinatè vera, altera falsa* 94. seqq. 110. *Præ*

INDEX RERUM.

Propositio aeternae veritatis dupliciter dicitur. III. 112.

R

Rhetor fortis argumenta contra mediam DEI scientiam 214. 215. 216. responsio ad ead. 217. sequ. 226.

Respectus scientiae divinae ad objectum est realis. 20.

S.

Scibile non uno modo sumitur. 137. 218.

Scientia Dei perfectissima. I. 2.

Scientia cum DEO necessario cohaeret. 2.

Scientia DE I ex Scripturis probatur. 3. 4.

Scientia DE I ex lumine naturae potest cognosci. 4. 5. 6. 7.

Scientia quot modis accipiatur? 7. 8. 9.

Scientia potest alicui tribui vel in actu primo vel in actu secundo 9.

Scientia in qua significatione DEO non tribuatur? 10. 11. 12. 16. 17.

Scientia quò sensum Deo competat? 17. 18.

Scientia DE I est ipsa DE I essentia. 18. 19.

Scientiae divinae objectum duplex. 20.

Scientia divina an versetur etiam circa res extra DEum? 35. 39.

23

Sci-

INDEX RERUM.

- Scientia divina quo modo versetur circa  
res extra Deum* 45. seqq. 54.
- Scientia DEI immutabilis, certa & in-  
fallibilis* 54. seqq.
- Scientia DEI est triplex, nempe natura-  
lis, libera & media.* 58. 59.
- Scientia DEI, quò sensu dicatur natura-  
lis?* 60.
- Scientia Dei quo modo dicatur libera?* 60. 61.
- Scientia DEI cur dicatur media?* 61.
- Scientia DEI naturalis objectum.* 68.
- Scientia DEI libera objectum.* 91.
- Scientia DEI libera s. visionis an sit cau-  
sa actionum humanarum, earumque  
libertatem tollat?* 161. seqq.
- Scientia DEI media à Calvinianis rejici-  
tur.* 195.
- Scientia DEI circa futura Conditionata  
an sit media inter scientiam natura-  
lem & visionis.* 212.
- Scientia DEI media ex Scriptura S. pro-  
bari potest* 227. seqq.
- Smalcii argumenta contra Fut. Conting.  
scientiam in DEO. 99. responsio ad Smal-  
cii argumenta.* 119. seqq.
- foci-



INDEX RERUM.

Socini argumenta contra Fut. praescien-  
tiam in DEO. 102. seqq.

T.

Tentatio quo sensu DEO tribuatur. 155.

Tuvissi argumenta contra mediam DEI  
scientiam. 196. 197. responsio ad ea-  
dem. 201. seqq.

V

Voluntas humana an juxta naturam  
suam moveatur à Deo. 171. seqq.

Voluntas hominis non determinatur per  
decretum DEI. 100.

W.

Wendelini argumenta contra scienti-  
am Dei mediam. 198. responsio ad eadem.  
207.



Er

**Errata B. L. ita corrigat :**

Pag. 8. lin. 3. lege Themistius. p. 24. l. 7. cognoscibilium. p. 33. l. 11. movere. p. 40. l. 16. perfectio. p. 43. l. 19. ne quidem. p. 45. l. 4. putamus. p. 71. l. ult. Relationem. p. 73. l. 9. possibles. p. 77. l. 15. creaturas. p. 79. l. 6. objectum diximus. p. 92. l. 10. causa. l. 23. fundamentum considerabimus p. 94. l. 23. accipiendam. p. 95. l. 21. falsam. p. 98. l. 6. vult. p. 114. l. 10. significata Oratio dicitur. p. 151. l. 8. propositione. p. 153. l. 20. Hoorn-beck. p. 168. l. 6. operatura. p. 171. l. 20. fuit. p. 176. l. 6. peccatum. l. 3. manifesta. p. 196. l. 7. possit. p. 220. l. 9. falsa. p. 223. l. 12. jam, pro: diem.







*Th. evang. Dogm. 790.*

